This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Sp 20.375

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND.

In 1858 Stephen Salisbury, of Worcester, Mass. (Class of 1817), gave $5000, the income to be applied to "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."



# QUA MENTE

# PHAEDER FABELLAS

## SCRIPSERIT

---

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI THESIM PROPONEBAT


HILARIUS VANDAELE

AGGREGATUS UNIVERSITATI

IN GYMNASIO LAUDUNENSI PROFESSOR.


Affectus proprios in fabellas transtulit.
(PHAED., II, Epil. pars post.)

... improbi jocos Phaedri.
(MARTIAL, III, 20, 5.)

PARISIIS

APUD BIBLIOPOLAM E. BOUILLON

67, VIA RICHELIEU, 67

—

1897

QUA MENTE

# PHAEDER FABELLAS

SCRIPSERIT

# PROOEMIUM

Inter vetera scripta fere nullum magis quam Phaedri libellus doctos viros ad studiosam indagationem sollicitavit; ut vix enumerare possis editiones, commentationes, disputationes de eo factas ex quo Codex ille Pithoeanus in lucem editus est[1]. Nostra praesertim aetate, Lucianus Mueller[2], Riese[3], Hartman[4], Stowasser[5], Hervieux[6], textum fabellarum maxima cura et scientia excussum emendaverunt. Hoc ipso anno, vir eruditissimus Ludovicus Havet, diligenter perspecta editione codicis Rosanboniani ab Ulixe Robert comparata, non modo quaecumque pertinent ad rem criticam et metricam mire exposuit, sed etiam cum genuinum fabularum ordinem librorumque divisionem, tum priorum codicum deperditorum quos vocat X et Y speciem et formam ratione arithmetica ut restitueret sibi proposuit.

Verum hactenus praecipua (unica dixerim) opera adhibita est aut in textu corrigendo aut in disquirendo num vere Phaedri sint omnes fabulae. De qua re cum jam fere nemo sit qui dubitet, opportunum et studio dignum ego putavi

1. Vide HAVET, *Phaedri fabulae* (anno 1895), pp. X-XII.
2. a. 1877.
3. a. 1885.
4. *De Phaedri fabulis commentatio* (a. 1890).
5. a. 1893.
6. *Les fabulistes latins*, II vol., éd. alt. a. 1894.

fabularum sensum ipsum illustrare, et exquirere qua ratione, qua causa, quibus temporibus eas poeta scripserit. Ubi natus sit Phaeder, quando et a quo Romam adductus sit, quid ibi egerit, quando vitam amiserit, multi diverse disputaverunt; inutiliter credo, cum de illis omnibus rebus neque Phaeder, neque veterum auctorum ullus quidquam certi rettulerit. Multi etiam, cum meminissent poetam nostrum propter fabulas a Sejano damnatum esse, eundemque de sorte sua saepius queri, voluerunt in omnibus fere fabulis Sejanum aut Tiberium aut alium principem lacessi aut derideri; libertumque fecerunt ubique generosum morum ultorem, audacem magnorum insolentiae insectatorem[1] ideoque victimam injuriae multa laude dignam. Ita fabulas explicantes, inepte, ne dicam ridicule, multa interpretantur[2]. Nunc vero illorum errorem pauci sequuntur; at, compertis in quattuor aut quinque fabulis insectationibus in Sejanum et principes et magnos, ceteras omnes habent nihil aliud nisi exercitationes quasdam docte scribendi gratia excogitatas. Vix animadversum est in plerisque fabulis vim inesse satiricam, nonnunquam etiam juvare poetam narratiunculas longius et acriore stilo exarare. Quae autem ejus rei causa fuerit, nemo explanare temptavit. Attamen inveniri, ut mihi videtur, haud difficile potest, cum nullus unquam liber auctoris affectibus plenior fuerit, et poeta saepissime nos doceat quid velit, quid patiatur, quid metuat, admoneatque ut *vim carminis* sui sentiamus, *diligenter intueamur* illas nenias, perspiciamus *quod interiore angulo cura condidit.* Nihil igitur refert quod Seneca, quod alii Phaedri aequales de poeta nostro mentionem nullam fecerunt, quod etiam Seneca ait aetate sua nondum apud Romanos fabularum scriptorem exstitisse[3]. Habemus aliquid melius alieno

1. Vide Nisard, *Les poètes latins.*
2. Vide ejusdem interpretationem de fabula « Anus et amphora ».
3. Scribit enim Seneca in *Consolatione ad Polybium* (VIII, 27), anno 43 aut 44 : « non audeo te eo usque producere ut fabellas quoque et Aesopeos logos, *intemptatum Romanis ingeniis opus,* solita tibi venustate conectas... »

judicio, ipsius dico Phaedri verba et fabulas si non omnes quae scripsit at saltem majorem partem ex illis. Praeterea duo sola testimonia nobis a veteribus de Phaedro relicta, Martialis[1] et Aviani[2], in investigando nobis adjumento erunt.

At fons verus, et dux certus erit ipse liber. Quis enim, primo aspectu, non sentit ipsam poetae personam majores partes in fabulis agere? Qui quidem non modo in prologis et epilogis, verum saepius in medio libro, nonnunquam in media fabella, etiam in praeceptis et sententiis moralibus quae semper ad ipsum pertinent, in scenam prodit, affectus suos exhibet, desideria, odia, amicitias (perraro), calamitates, non clare fateor, sed tamen ita ut liceat « diligenter intuentibus » mentem et animum scribentis perspicere. Qui autem in libro crebram de se mentionem facit, omniaque ad se refert, num fieri potest ut illius opus totum propriam speciem non praebeat? Quare, etiamsi non ipse testaretur Phaeder fabulas suas de se et pro se esse fictas, satis apparet ex illa continua poetae accessione, semper et ubique res privatas illum in libellos transtulisse.

Illam ego peculiarem fabularum naturam in hoc opusculo ostendere conatus sum. Libros variis temporibus, sat magnis intervallis, in lucem esse editos, videbimus : quibus autem temporibus, quibus de causis, qua mente unusquisque liber scriptus sit, si omnes ejus fabulas accurate perspicies, haud difficile comperietur. Si enim inter se contuleris cum prologum et epilogum, tum locos illos ubi poeta de se aperte

1. MARTIALIS, III, 20, 1-5.

> Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus,
> Utrumne chartis tradit ille victuris
> Legenda temporum acta Claudianorum?
> An quae Neroni falsus astruit scriptor
> An aemulatur *improbi jocos Phaedri?*

2. AVIANUS, *Ad Theodosium :* Quas (i. e. Aesopias fabulas) Graecis iambis Babrius repetens in duo volumina coartavit; *Phaedrus* etiam *partem aliquam quinque in libellos* resolvit. De his ergo ad quadraginta et duas in unum redactas fabulas dedi... *Loqui* vero *arbores,* feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia ridere facimus...

loquitur, tum etiam ipsas fabulas, non poteris non animadvertere ea omnia apte cohaerere, et certo consilio a poeta esse composita, ita ut libro cuique suus vere sit color proprius.

Verum casu accidit ut nonnunquam ordo fabularum, qualis ad nos in codicibus pervenit, manifeste perturbatus sit et alia series in alieno libro non recte sit collocata, nonnunquam etiam turbas inesse conjicere possis, adeo ut non semper inter viros doctos constet ubi initium habeat, ubi finem unusquisque liber, aut quas fabulas contineat. Turbas et lacunas jam Pithoeus etsi cognoverat aliquot, tamen in editione sua servaverat. Postea nonnulli audaciores in commutando turbas novas veteribus turbis adjecerunt. Inter eos tamen videtur mihi Brotier quaedam non inepte conjecisse. Tandem, nostris temporibus, vir in his rebus peritissimus, Ludovicus Havet, computatis inter duas continuas lacunas lineis, rationem arithmeticam adhibuit qua certissime, ut mihi videtur, genuinus ordo fabularum restitui potest, praesertim si sensum quoque earum non neglexeris.

Nunc igitur ego conabor, teste usus Phaedro in prologis et epilogis et aliis locis prodeunte, duce etiam L. Havet in computandis foliis et lineis manuscriptorum, prius uniuscujusque libri fines et materiam constituere, et quibus temporibus editus sit indicare, deinde ipsarum fabularum vim et sensum reconditum eruere.

# PARS PRIOR

## Libri singuli ex quibus fabellis constent, quibus temporibus scripti et in lucem editi sint.

Non iisdem temporibus omnes fabulas esse editas, si quis vel minima cura prologos legerit, facile animadvertet. Prologi quoque et epilogi indicant et variis viris libros esse dicatos, et semper novum in novo libro edendo propositum poetae fuisse, novam scribendi causam, et rationem, et materiam. At non omnes prologi exstant, item non omnes epilogi : deest epilogus I (si quis forte fuit); necnon prologus (mea quidem sententia)[1] et epilogus V; prologus III ex duabus partibus constat sensu inter se omnino discrepantibus; prologum IV in fine quarti libri codex P habet, initium autem libri notatum ante fabellam « *Asinus et Galli* », quod errorem manifestum declarat. Cum jam tot in codice sint turbae, propter etiam multas lacunas vix definiri posse videtur utrum haec atque illa fabularum series verum locum teneat, an in alium librum sit transferenda.

### Lib. I.

Primo libro turbas inesse arguunt et codices et prologus. Fabellas codex P continuo ordine praebet quo adhuc servantur in omnibus editionibus. At scheda Petri Daniel manifestum facit

1. Vide infra, p. 22.

esse lacunam post fabulam 14 de *Vulpe et Corvo* : In ea enim desunt duo versus ultimi

> Hac re probatur quantum ingenium p[ol]le[a]t;
> *Virtute* semper praevalet sapientia.

quos pro certo habebit quivis exitum esse fabulae deperditae, et L. Havet, praeeunte Dresslero, recte seposuit. Ego illos minime cum fabella 14 congruere judico, quippe quod ei fabellae jam praecedit argumentum, atque in ea non de *virtute* sed de stupiditate corvi agitur. In prologo autem profitetur Phaeder nihil aliud se in eo libro nisi Aesopi apologos « versibus polivisse ». Tredecim primae fabulae (2-14) vere apologi sunt, et in Aesopi sylloge inveniuntur[1]; excepta tamen decima (*Passer ad Leporem consiliator*); at verisimile est non omnes Aesopi fabulas ad nos pervenisse. Narratiuncula « *Ex sutore Medicus* » non potuit esse primi libri, sed certe fuit secundi, in quo Phaeder ait se fabulis ex Aesopo decerptis novi aliquid interposuisse. Fabulam autem « *Miluus et Columbae* » libri primi ultimam, uno versu breviorem esse constat, si cum ea conferimus Ademari paraphrasin et codicem Wissenburgensem et pseudo-Romuli fabulam, ubi post verba Columbarum « merito plectimur » addentur haec : « qui nostrum spiritum tali credidimus inimico » (Adem.), — « qui nos praedoni commisimus » (Wiss.), — « quae nos tali commisimus » (Rom.); versum deficientem restituit Havet « Huic spiritum praedoni quae commisimus ». Unde recte concludere possumus omnes fabulas in codice tertiam decimam sequentes e secundo libro in primum librum casu quodam esse translatas, cum nulla alia videatur inter eas fuisse lacuna, septemque tantum ex toto numero fabularum in Aesopea sylloge nunc reperiantur (*Canes famelici*, cf. Halm, 218; — *Mustela et Homo*, H. 89; — *Canis fidelis*, H. 164; — *Rana rupta et Bos*, H. 84; — *Vulpis et Ciconia*, H. 34; — *Canis et Thesaurus et Vulturius*, H. 239; — *Vulpis et Aquila*, H. 5), inter ceteras vero inveniantur aut quae ex alio fonte fortasse haustae sunt (*Mulier parturiens*, — *Canis parturiens*, — *Leo senex Aper Taurus et Asinus*, — *Canes et Corcodilli*, — *Ranae metuentes Taurorum praelia*, — *Miluus et Columbae*) aut quae rectius pseudapologi dicantur[2] (*Ovis Cervus et Lupus*, — *Ovis, Canis et Lupus*), aut etiam quas ab ipso Phaedro excogitatas esse facile crediderim (*Ex sutore Medicus*[3], — *Asinus*

1. Saltem olim inveniebatur fab. 11 de *Lupo et Vulpe Judice Simio*, teste v. 3.
2. Vide Havet, *lib. laud.* p. 257, § 150.
3. Videtur tamen fabella « *Ex sutore medicus* » e graeco fonte sumpta : cf. v. 6 urbis = πόλεως.

*ad senem pastorem, — Asinus inridens Aprum*). Transferre eas non dubitabit qui animadverterit ante Prologum II in codice P libri titulum mendosum scriptum esse PHEDRI AVG. LIBERTI LIB. SECVNDVS INCIPIT LIBER TERTIVS FELICITER. Voluerat sine dubio auctor tituli P-A-L LIB. SECVNDVS [EXPLICIT] INCIPIT L-T-F[1], ita declarans praecedentes fabulas libro secundo, non primo, olim esse tributas.

Denique desideratur in libro primo una aut fortasse plures fabulae in quibus « arbores loquantur », cujus generis nonnullas legimus apud Aesopum (δρύες καὶ Ζεύς (Halm, 122), πεύκη (123[b]), ἐλαία καὶ συκῆ (124), ἐλάτη καὶ βάτος (125), κάλαμοι καὶ δρῦς (179), una servatur « *De securis manubrio* » in Adem. XLIV, Wiss. IV, x, Rom. III, XIV.

Ergo librum primum omnino mutilum accepimus. Epilogus deest, siquidem aliquis fuit. Fabularum autem nonnullas aut perisse, aut in aliis codicibus permixte servatas esse conjicias. Codex enim Perottinus novas fabulas habet 32, Ademari paraphrasis novas 30 (praeterea 37 veteres), Cod. Wiss. novas 18, Romuli denique libri novas 32 (veteres 48). Ex iis novis fabulis quae cui libro tribuendae sint decerni difficile potest, praesertim in Adem., et Wiss., et Rom., ubi textus genuinus non exstat verum paraphrasis. Codices Perottini tamen ne ullam quidem fabellam libri fuisse primi satis apparet[2], cum vix quattuor ex toto numero in sylloge Aesopia reperire sit (*Equus abactus*. Halm 174 — *Cornu fractum*. Halm 17 — *Lupus et Bubulcus*. H. 35 — *Feber* H. 189) quae propter sensum melius in alio libro collocari possunt, ceteraeque fere omnes aut pseudapologi, aut satirae, aut narratiunculae dici debeant, in nonnullis de scriptorum suorum meritis poeta loquatur aut de rebus philosophicis disserat.

Nunc qua mente liber primus scriptus sit ex prologo facile suspicamur. Ibi quam modestissimis potest verbis utitur poeta, qualia decent adolescentem timidum cum suis ipsius viribus tum lectorum benevolo animo minus fidentem. Nondum enim audet Phaeder aliquid a se excogitatum proferre, sed Aesopi fabulas; Aesopi se fabulas ne imitatum quidem profitetur, sed tantum polivisse et in senarios vertisse. Novum genus scriptorum temptat litteris latinis inferre; quare diligentissime praecavet ut opus suum benigne a legentibus accipiatur. Aesopi materiam profert, non suam; Aesopi genus gratum vult facere Romanis. Etenim timendum erat ne Romani, quibus res fictae non placebant nisi

1. V. Hav., *ibid.*, pp. 32 et 248.
2. Adde quod nullam libri primi inter se communem habent PR, NV.

sibi honori essent, commenticiis fabellis in quibus ferae docent homines, parum delectarentur. Juvabat eos illa quidem Menenii fabula de artubus humanis a ventre otioso discedentibus, utpote quae rem referret a majoribus suis gestam ; necnon probata erat omnibus fabella Horatii de mure rustico et mure urbano lepide et apte in epistula interposita. At jure dubitabat Phaeder utrum « viles nenias » Romani studio dignas habituri essent, an velut rem nullius momenti aut meriti neglecturi. Attamen non dubium est quin notae fuerint Romanis ejus aetatis Aesopi fabulae, teste Quintiliano[1], adeo ut jam versibus, nescio quo auctore, comprehensae in scholis darentur juvenibus in solutam orationem, etiamque paraphrasi vertendae, ad informandum stilum judiciumque acuendum. Verum quia materia erat puerilibus apta exercitationibus, nonne maxime cavendum erat ne genus illud poeta probatus tractare posset, neve aequalibus suis derisui aut saltem contemptui foret? Temporibus Senecae quibus viri docti et graves diserte et severe exquisitam quandam philosophorum doctrinam exponebant, nonne temerarius videri poterat qui veterem illam et simplicem renovans philosophiam, hominibus incultis magis convenientem, « vitam prudenti consilio monendam » susceperat? Itaque non sine justa causa circumspectè, ut ita dicam, procedit Phaeder, cum et ipse homo sit obscurus, ne Romanus quidem civis ingenuus, sed libertus, et litterarum genus novum novo carmine legentibus mirandum ediderit.

Quando autem librum primum Phaeder scripserit facile ex prologo II conjici potest. Ibi enim poeta de Sejano adhuc vivo queritur « quod si accusator alius Sejano *foret*[2] », (non « fuisset »), et aperte declarat propter primas fabulas se a Sejano esse damnatum, nunc « ad deleniendum dolorem » alias scribere. Sub Tiberio igitur, quo tempore Sejanus apud principem gratia valebat, liber primus in lucem editus est, id est ante annum 31 quo ille periit, dixerim etiam non multo postquam Sejanus ad rem publicam administrandam accesserat, cum liber secundus aliquot, ut opinandum est, annis post, attamen sub ipso Sejano sit com-

1. *Instit. orat.* 1, 9, 2 : « igitur *Aesopi* fabulas, quae *fabulis nutricularum proxime succedunt*, narrare sermone puro et nihil se supra modum extollente, deinde eamdem gracilitatem stilo exigere condiscant ; versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari ; tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam et exornare salvo modo poetae sensu permittitur ; quod opus, etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractaverit, cuicumque discendo sufficiet ». Aesopi, non Phaedri, non Aesopias fabulas Quintilianus significat ; Socratis fortasse, aut Babrii, aut alius jam tum incogniti poetae syllogen.

2. Imperfectum « *foret* » significat Phaedrum, antea damnatum, etiam nunc poenas pendere quibus est a Sejano affectus; *quod fieri non potuit, nisi adhuc vivente Sejano.*

positus; credo equidem anno 26 aut 27, si ad Sejanum uxoris ducendae cupidum, ut verisimile est, alludit Phaeder in fabella « *Ranae ad solem* », quoniam anno 25 Sejanus Liviam, Drusi uxorem, petiverat. (Tac., *Ann.*, IV, 39).

Librum primum benigne et studiose acceptum esse existimo, cum propter leporem carminis, tum etiam quod ad res praesentes fabulae nonnullae pertinere videbantur. Poetam autem ad Sejanum, ad alios summum locum obtinentes allusisse in fabulis, nemo non compertum habet, ne ipse quidem Phaeder inficiatur.

> Quod si accusator alius Sejano foret,
> .....
> *Dignum* faterer esse me tantis malis.
> (Epil. II. Hav. 43, v. 17-19.)
>
> In calamitatem d[e]ligens *qu*[*a*]*edam* meam.
> (Epil. II. Hav. 43, v. 16.)

Verum, utpote qui « mores hominum » universos volebat ostendere, alia quoque notanda susceperat : vitia scilicet et pravitatem multorum, praecipue insolentiam eorum qui malis artibus honores et divitias comparaverant, superbiam et inanitatem divitum, injurias potentiorum. At ipsi legentes « obnoxii proprios affectus in fabellas transtulerunt », Sejanumque ubique significatum et lacessitum libenter crediderunt. Mox vero ille, ea de re ab assentatoribus monitus, libellum vix notum, antequam in manus omnium veniret, tollendum curavit, poetamque graviter minitando vetuit quidquam posterius scribere.

## Lib. II.

Nec Sejani solum, sed etiam aliorum, ut fieri solet ubi quis in calamitatem venit, Phaeder inimicitias susceperat. Quamvis igitur laboraret illius judicio, non potuit illorum contumelias silens accipere. Qui quales fuerint mox videbimus. Nunc quo animo librum secundum conscripserit explorandum arbitror.

Prologus II multum differt a prologo I. Poeta enim, qui adhuc nihil aliud quam Aesopi materiam poliverat, jam aliquid proprii fingere temptavit. Cum eum alii lacesserent, contemnerent alii, laudis quaerendae non oblitus, etsi jubebatur silere, opus novum secreto comparare constituit, scribendoque simul « dolorem delenivit. » Ad quod suscipiendum ipsa inimicorum ira ei incita-

mento erat ; arguebat enim Romana ingenia fabularum non esse incuriosa, cogebatque poetam calumniantibus sese excusare. Itaque qui Aesopi olim minister et discipulus fuerat, nunc prodit aequalis et « aemulus. » At ne quem offendat nimia sui fiducia, mirare quam modeste, quam prudenter, quam perite consilium suum exponat. Quam caute, postquam dicere ausus est opus « re commendari, non auctoris nomine », profitetur se « omni cura morem servaturum senis », oratque lectorem ut id « in bonas partes accipiat », « brevitatem », data venia, repromittens.

Liber secundus octo tantum fabulas in codice P habet, manifeste mutilus. Ostendimus enim supra ejus libri esse omnes fabulas in libro primo tertiam decimam sequentes ; quas L. Havet reponendas conjicit post versum editionis suae fab. 42, 11, ubi lacuna agnoscenda videtur, recte disjunctis duabus ejusdem fabulae partibus sensu minime inter se cohaerentibus[1]. Alia autem, etiamsi lacuna nulla comperta esset, probant in illo libro fuisse profecto plures fabulas quam nunc exstant : ipsa ea fabella 42 de « Aesopi statua », et epilogi pars posterior « Nunc fabularum cur sit inventum genus, etc. » errore aliquo post prologum III in codice P collocata. Etenim in fabella 42 libere et aperte vindicat sibi Phaeder, si non statuam qualem Attici Aesopo posuerunt, at certe gloriam aeternam. Immo incedit non modo Aesopi aemulus, sed etiam Latii decus.

> Quodsi labori faver[i]t Latium meo,
> Plures habebit quos opponat Gr[a]eciae.

Item in fine epilogi « sollemnem sibi gloriam » deberi non dubitat contendere. Num autem tantuli libelli octo admodum fabulas continentis auctor tanto praemio se dignum praedicare ausus esset ? Credo equidem non illas tantum fabulas quas diximus (HAVET, 14-32) e libro secundo excidisse, sed etiam, ut verisimile est, multas alias ejus libri fabulas nunc esse deperditas.

Prologi III partem posteriorem « Nunc fabularum..... candore noto reddas judicium peto » a libro III abjudicandam esse et libri II epilogo adjungendam L. Havet manifestum fecit : versum « Nunc fabularum... » in codice priore X initium esse folii ; ejusdem codicis duo folia tricenas quaternas lineas continentia inter se esse commutata, quorum unum libri III prologum ⟨id est 32 versus cum titulo prologi et titulo sequentis fabulae⟩ habuit, alterum 31 versus « Nunc fabularum..... judicium peto » cum hac mentione PHAEDRI

1. Vide *op. laud.*, p. 228, § 110.

AVG. LIBERTI LIBER SECVNDVS EXPLICIT INCIPIT LIBER TERTIVS FELICITER, in summam 34 lineas; pari computatione restitui posse ordinem genuinum et omnium praecedentium fabularum, et sequentium; totumque codicis X deperditi habitum et conspectum plane sub oculos revocari. Sensu autem versus « Nunc fabularum... » (HAV., 43 : 9-39) minime congruere cum prologo III[1], optime cum priore parte epilogi II[2], idem dilucide demonstravit.

Ad ea videntur mihi pauca addenda ex quibus apparet etiam cum prologo II mire consentire versus eosdem « Nunc fabularum... ». In prologo enim de Aesopo agitur quem vult Phaeder imitari et aequare :

> Exemplis continetur [A]esopi genus.....
> Quicumque fuerit ergo narrau[t]is [j]ocus.....
> Re commendat[o]r, non *auctoris nomine.*

Idem studium testatur epilogus in verum locum restitutus :

> Si *Phr[y]x [A]esopus* potuit.....
> Aeternam famam condere ingenio su[is]
> *Ego* litteratae qui sum pro[p]ior Graeciae
> Cur somno inerti deseram patriae decus?

Aliae utriusque frustulae partes inter se collatae eandem aut parem significationem exhibent.

> PROL. Sed si libuerit *aliquid interponer*[e]...
> EPIL. *Ego*, Illi, porro semita[m] *feci viam;*
> E[x]cogitavi *plura* quam reliquerat.
>
> PROL. *Bonas in partes lector* accipias velim
> EPIL. Induxi te *ad legendum;* sincerum mihi
> *Candore noto* reddas judicium peto.
>
> PROL. Nec *aliud quidquam* per fabellas qu[a]eritur
> Quam *corrigatur* ut error *mortalium.*
> EPIL. *Suspi*[c]*ione si quis errabit sua*
> Et rapiet ad se quod erit commune omnium,
> Stulte nuda[b]it animi conscientiam.....
> Neque enim notare singulos mens est mihi,
> Verum *ipsam vitam et mores hominum ostendere.*

Inde satis apparet Phaedrum in eo libro scribendo ante omnia curavisse ut ipse alter Aesopus haberetur laude non dico pari sed majore dignus, tum etiam ut calumniantes silere cogeret. Mani-

1. V. *op. laud.*, § 107.
2. V. *op. laud.*, § 111.

festum erit, si modo attentius perlegeris totum epilogum ita restitutum, libro primo edendo nonnullos poetam sibi fecisse inimicos, inter quos Sejanus fuit et alii qui se in illis fabulis peti suspicati erant, alii quoque qui Phaedro denegabant laudem scribendi et Aesopi logos ejus libello anteponebant, neque patiebantur hominem novum illi seni aemulari. Utrisque respondent versus primi « *Si nostrum studium ad aures pervenit tuas..... Nec his dolorem d[e]l[e]nirem remediis* », at prioribus versus sequentes « *Suspi[c]ione si quis errabit sua... Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere* », alteris haec « *Rem me prafessam dicet for[s] aliquis gravem... Quom jam mihi sollemnis d[a]b[i]tur gloria* ».

Poetam, cum epilogum II scriberet, adhuc in calamitate esse declarat imperfectum « foret » in his versibus :

> Quod s[i] accusator alius Sejano *foret*,
> Si testis alius, judex alius denique,
> Dignum faterer me tantis malis,
> Nec his dolorem d[e]l[e]nirem remediis.
>
> (Hav. 43 v. 17-20)

Quae autem *calamitas* ea fuerit, quae *tanta mala*, ipsius ex apologi verbis conjici potest. Neque enim multa damnatus est, quippe qui pecuniam nihili faciat; neque bonis spoliatus, qui nihil possidet; neque in carcerem conjectus, omnis enim locus arguit fuisse liberum qui « sollemnem gloriam », sibi vindicaret; neque in exilio vitam agebat, contra quam putat L. Havet : Romae scriptum esse secundum librum indicat fabella *de Tiberio Caesare ad Atriensem*. Praeterea de exilio nulla usquam mentio facta est, quod silentium mirum profecto et parum verisimile mihi videtur. Audacius itaque ac minus congruenter a L. Havet restitutum esse arbitror « exilium » pro « exitium » in hoc versu : « *Fatale exitium* corde durato feram. » Hic « fatale exitium » nihil aliud significat quam injustam calamitatem, immeritam poenam. Eodem verbo simili sensu utitur Phaeder in fabula *de Miluo et Columbis*. (Hav. 32.)

> Qui se committit homini tutandum improbo,
> Auxilium dum requirit, *exitium* invenit.....
> Tunc de reliquis una : « Merito *plectimur*. »

Exitium sibi recte putavit poeta librum suum a malevolis lacessitum, susceptas undique inimicitias, spem totius vitae fere

collapsam. Quas tamen inimicitias non magnopere curavisset Phaeder, si non majore malo affectus esset, Sejani odio dico.

> Quod s[i] accusator alius Sejano foret,
> Si testis alius, judex alius denique,
> *Dignum faterer esse me tantis malis.*

Quae igitur calamitas tantum « *dolorem* » potuit illi afferre? Qui poetam nostrum noverit, satis sciet nihil ei carius fuisse quam suas fabellas, eumque nullius rei cupidiorem fuisse quam gloriae docto labore comparandae. Quid igitur ei tristius accidere potuit quam ut vi cogeretur vocem premere, exoptataeque gloriae aeternum vale dicere! Quam aliam poenam faciliorem sibi, poetae graviorem Sejanus a Phaedro sumpsisset? Quo alio sensu potuit idem in eadem lite *accusator* esse simul, et *testis*, et *judex*? Nonne his verbis aperte significat Phaeder nullo se publico judicio rite damnatum, sed unius voluntate Sejani, hominis privati, contra jus et leges secreto esse punitum? Credo itaque, cum liber primus nuper in lucem editus esset, paucis adhuc notus, nonnulla in eo inventa esse quae in Sejanum scripta viderentur; quibus auditis, rem ad Sejanum detulisse assentatores ejus, sodales fortasse poetae; Sejanum autem, antequam fabulae omnibus notescerent, librum sustulisse, poetam silere coegisse.

Tales querelas nemo putabit, vivente Sejano a Phaedro esse pervulgatas, praesertim cum supra de inventione et sensu fabularum sententiam suam aperte dixerit :

> Servitus obnoxia
> Quia quae volebat non audebat dicere
> *Affectus proprios in fabellas transtulit...*
> Ego..... porro *semita[m] feci viam.*
>
> (Hav. 43, v. 10 sqq.)

Qui ea pronuntiaverat, jam nullam excusationem afferre potuisset, et in se gravissimas iras de industria convertisset. Ergo, cum neque vivente Sejano librum secundum ediderit, et tamen vivente eo scripserit, nihil dubii est quin secreto « *dolorem delenierit, fatale exitium corde durato ferens* » donec caelum magis serenum esset. At, Sejano mortuo, cur diutius sileret causam fuisse video nullam : neque enim illius ultio ei jam timenda erat, neque tempus potuit esse opportunius cum omnibus invisus Sejanus periisset, et ipsi poetae nihil longius profecto fuit quam ut quasi recreatus libertate tandem frueretur, librumque ante conscriptum in publicum emitteret.

Eam tamen opinionem non fuisse antehac virorum doctorum pulchre scio. Sunt qui putent duos libros (primum et secundum) una esse editos[1] : quem errorem, ex eo ortum quod codex P habet versus Hav. 43, 9-39 « Nunc fabularum... » in Prologo III, Lud. Havet, genuino fabularum ordine restituto, omnino rescidit. Ipse autem vir ille doctissimus, quia Seneca in Consolatione ad Polybium anno 43 aut 44 scripsit « Aesopeos logos, intemptatum Romanis ingeniis opus », existimat ante annum 43 nullum Phaedri volumen editum esse. Attamen, quod Phaedri libellos, pauperis et humillimi hominis, Seneca, vir dives et honestus, non novit, quid incredibile habet? Non enim, illis temporibus, libri facile apud bibliopolas venditabantur neque cito innotescebant; sed, praesertim si auctor inops erat, aut operi inesse videbatur aliquid damnosi (quod Phaedro accidit), a paucis clam legebatur volumen, partes a curiosioribus excerpebantur (cf. Prol. IV, 18). Immo, propter illam fortunae condicionem credo equidem nunquam, neque ante annum 43 neque post, Phaedri carmina Senecae fuisse nota. Etenim qui et ipse trimetros condidit in tragoediis, voluitque etiam in fabellarum genere Graecis scriptoribus Romana ingenia posse opponi, nonne, si poetae nostri doctum laborem legisset, artem ejus eximiam in renovanda senarii forma sensisset, poetamque in amicitiam assumptum adversus inimicos defendisset? — Certe neque Senecae, neque forte Quintiliano, qui cum divitibus et nobilibus maxime conversabantur, Phaeder notus fuit, homo humilis et diu obscurus; neque Tacitus, neque Suetonius de eo mentionem fecerunt, quia nulla publica poena affectus est, sed a privato Sejano, nullo judicio, nullo decreto, nulla ostentatione liber abolitus est, poeta silere jussus. Unus Martialis Phaedrum et fabellas ejus commemoravit quod et ipse leviora quaedam tractavit et humili genere fuit, denique posterius, jam nobili Phaedro, epigrammata conscripsit.

Qui propter fabulas jam damnatus erat a Sejano, nunc debuit cautissimus[2] esse, praesertim ubi ad illum alludit. Itaque nonnunquam difficile est plane dicere quos homines in libro secundo petiverit. Attamen ad Sejanum imperium concupiscentem spectare mihi videntur fabulae 16 (*Asinus ad senem pastorem*), 20 (*Canis parturiens*), 31 *Ranae metuentes Taurorum praelia*). In fabula 16 ipsum Phaedrum significari credo, cui, cum in eo

1. Lucianus Muller 1877, Schwabe 1890, Hervieux 1893, Robinson Ellis 1895. Vide L. Havet, *op. laud*, p. 242, § 133.

2. Cf. fab. Hav. 26 :

Consilia qui dant prava *cautis* hominibus,
Et perdunt operam et deridentur turpiter.

esset Sejanus ut imperium occuparet, nonnulli fortasse suadebant « ut hostem fugeret », illum vero respondere jam sibi nullam majorem calamitatem metui posse.

Propter verba « in principatu commutando » conjicit L. Havet (§ 145) fabellam scriptam esse postquam Tiberio successit C. Caligula (anno 37), Caligulae Claudius (a. 41), « bis intra quattuor annos commutatus est princeps, bis vanae spes fuerant ». Quae interpretatio, per se primo adspectu satis probabilis, neque cum ceteris libri partibus, neque cum ipsis scriptorum testimoniis congruere mihi videtur. Nam in eo libro alludit Phaeder ad Sejanum adhuc viventem, ad se a Sejano adhuc oppressum (Epil. Hav. 43, 16-20), aliaeque fabellae (e. g. 20 et 31) ad eundem Sejanum spectare optime conjiciuntur. Praeterea hic narrat poeta senis (id est populi romani vel potius senatus) non spes deceptas, sed timorem de futuro; scimusque, teste Suetonio (Tib. LXV) et Tacito (Ann. V, 4[1]), romanos cives cupiditate Sejani in dies crescente perterritos metuisse ne ille vere « *hostis* », Tiberii domo perdita, principatum obtineret. Scripta igitur videtur fabella anno 31.

Ad conjurationem Sejani[2] Romae res novas molientis, postquam Tiberius Capraeam concesserat, haud inepte accommodatur fabula *de Cane parturiente*. Conjicere nobis licet in fab. 31 significari eandem conjurationem nunc manifestam omnibus, cum jam apertius Sejanus cum Tiberio « de principatu certaret », inde, utercumque victor futurus esset, « magnam perniciem instare » populo Romano, etiam illis qui, ut Phaeder, « in secreta latibula », obscure viventes aut secreto scribentes, confugissent.

Fabulam denique de *Caesare ad Atriensem* Tiberio imperitante scriptam et in lucem editam pro certo habeo, etsi aliter putat L. Havet. Neque enim potuit offendi Caesar Tiberius quod principis nomini adjectivum, laudandi gratia, poeta non addidisset, cum idem se Augusti libertum profiteretur, non divi Augusti (quod tamen cognomen plerumque usurpabatur), et fabellam totam in honorem accipere debuit, in qua villae suae Misenensis amaenitas memorata esset, ipse autem vir justus (v. 24-25) habitus, et « tanti majestas ducis » nominatus. Eas Tiberii laudes a Phaedro post mortem ejus esse praedicatas, ubi « Tiberium in Tiberim » omnes clamitaverant, incredibile est.

1. « Simul populus, effigies Agrippinae ac Neronis gerens, circumsistit Curiam, festisque in Caesarem ominibus,... principe invito exitium domui ejus intendi clamitat... Ferebantur etiam sub nominibus consularium fictae in Sejanum sententiae... » etc.
2. V. SUET., *Tib.* LXV.

## Lib. III.

Dicatus est liber secundus homini anonymo, ne alium fors in periculum adduceret, ego opinor[1]; tertius autem Eutycho, liberto, ut verisimile est, si non docto, at certe diviti et nobili et potenti viro. Propter viri potentiam, facile crediderim sub Claudio librum III esse editum, cujus sub principatu maxime liberti divitiis et auctoritate floruerunt; quod tempus cum aetate Phaedri (cf. Epil. Hav. 76 v. 15–19) optime congruit. Non igitur ante annum 41 quo Claudius imperitare coepit, sed potius aliquot annis post scriptus esse et in publicum emissus videtur, id est duodecimo saltem aut tertio decimo anno post librum primum editum, anno circiter 43. Satis magnum igitur temporis spatium fuit inter secundum et tertium librum in lucem prolatum. Mox videbimus, nisi mali alicujus metu ad orandum Eutychum poeta coactus esset, futurum fuisse ut nihil amplius unquam conscriberet. Omnis enim spes ejus ad nihilum reciderat : inimicorum pars ei laudem scribendi denegabant (prol. III, 17-23), neque eum poetae nomine dignum volebant, adeo ut uni Eutycho et « posteris » jam alias fabellas conderet (ibid. 28-32); pars, ut ex epilogo ducitur, Phaedrum hominem improbum habebant, multaque ei afferebant negotia et majora etiam se allaturos minabantur. Tunc confugit Phaeder ad Eutychum, rogatque illum ut periculo et ab inimicis se liberet, neve patiatur innocentem a noxiis opprimi. Qui prologum et epilogum attentius perlegerit non dubitabit quin in tertio libro conscribendo poetae hoc praecipuum consilium fuerit, ut per Eutychum tutus ab inimicis praestaretur.

Prologi III versum ultimum esse « Habebunt certe quo se oblectent posteri », auctore L. Havet, supra demonstravimus. Epilogum III fabellam esse hoc versu incipientem « Supersunt mihi qu[a]e scribam, sed parco sciens » (Hav. 76), quam tamen codex P turba quadam longius remotam habet, nemo non probat. At de codicis habitu mox disputabimus; nunc, cum omnes viri docti de

1. Nisi forte credendum est L. Havet qui versum 12 prologi

ita sic rependet Illi brevitas gratiam P

hoc modo restituit :

ita, si rependet, † Illi, brevitas gratiam

Similiter versum Epil. 43, 14 « Ego illius porro semita[m] feci » mutat in « Ego, Illi, porro... etc. », collato CIL III 5071 nom. gentil. « Ilius », et Plutarcho : Sulla 6 Ἰλίᾳ (Sullae uxori).

prologo et epilogo consentiant, ex ipso prologo et epilogo quaeramus quid certo Phaeder ab Eutycho impetrare voluerit, quo demum consilio librum totum exaraverit. Quod si compertum erit, facile erit, praesertim si ratione arithmetica usus eris ab L. Havet nunc primum adhibita, cum verum et genuinum fabularum ordinem restituere, tum etiam totius libelli terminos definire.

In prologo nonnisi de illis queritur Phaeder qui fabellas suas non recte aestiment et « gloriam sollemnem » sibi debitam denegent; unde conjicias poetam multis visum esse majora pro parvo libello sibi in epilogo II arrogavisse. In epilogo III eisdem vix aliquot versibus respondet, « brevitatis » excusationem afferens primum « ne Eutycho », viro occupato, « videretur molestior », deinde « ut alii habere possent aliquid operis residui ». In reliqua parte prologi et ab Eutycho efflagitat rem antea promissam, et in eos se convertit a quibus immerito accusatur. Quid autem Phaedro Eutychus polliceri potuit? Magistratum fuisse Eutychum putat Desbillonius cum multis aliis, et poetam in judicium vocatum ab eo petivisse ut se criminis absolveret. Contra ea recte Hervieux : « Il n'est pas naturel que la récompense promise à sa brièveté dût consister dans une bonne décision judiciaire ». Addit idem minus bene : « C'était surtout contre les envieux (?) réels ou imaginaires (?) que Phèdre invoquait le secours (judicium !) de son protecteur ». Conjicit L. Havet (§ 159) Eutychum fuisse procuratorem Caesaris, et ab eo poetam rogavisse ut se « restitueret in officium aliquod humilius unde per calumniam fuisset olim dejectus ». At qui diligentius singula perpenderit, omnia simul inter se comparaverit, et faciliorem et perspicuam, ni fallor, enodationem inveniet.

Haud dubie arguit prologus (Hav. 44) Eutychum non fuisse magistratum aut judicem : judex non distinetur « negotiis » (v. 2); judicis quamvis occupati non adeo non « liber est animus » (v. 3), non adeo « corpus » (v. 13) laborando defessum, ut « ne horae quidem momentum perire possit officiis » (v. 5) ejus, et « ferias » (v. 8) exspectare debeat si vult « soluto pectore » (v. 9) aliquid legere, « animum relaxare » (v. 13), « otium dare corpori » (v. 13). Judex dici nequit qui

> magnas opes
> Exaggerare quaerit *omni vigilia*
> Docto labori *dulce praeponens lucrum.*
>
> (v. 24-26.)

Negotiatori vero et mercatori, nulli alii, ea omnia aptissime convenire quis non videt? Hic ergo non de judicio legitimo agitur,

neque Eutychus judex proprie fuit qui publico honore affectus in foro aut in alio tribunali sedens sententiam prolaturus esset. Praeterea num verisimile est judicem a reo rogatum esse ut festinaret dicere sententiam, ne non absolutus ille moreretur ? Num per judicems tetit unquam quominus judicium maturaret aut annis aliquot differret? Immo orat Eutychum Phaeder ut « vocis exhibeat fidem », « praemium » sibi reddat » olim promissum

[prae]mium ut reddas peto
Quod es pollicitus; ex[h]ibe vocis fidem.
(Hav. 76 v. 8-9)

Eundem tamen hortatur ut ex animi conscientia judicium proferat.

Decerne quod rel[i]gio, quod patitur fides.
(*Ibid.* v. 26.)

At neque potuit judex reo veniam polliceri, et, si fecisset, gratus parum ei Phaeder fuisset minusque urbanus, promissum non in colloquio sed in scriptis memorans.

At enim quid significant voces illae « reus », « veniam » (v. 22) « judicium » (v. 27)? — Hic verbis utitur poeta non propriam totamque vim habentibus : quemadmodum enim praedicavit olim se a Sejano « accusatore, teste, judice » esse damnatum, ita nunc judicium, id est auxilium, exposcit non a magistratu sed ab homine privato qui tantum opibus suis et auctoritate apud omnes valet. Vide enim quo nomine judicium illud indicet : vocat « munus » (v. 11) « auxilium » (v. 16) « ben[e]ficium » (v. 18) nusquam sententiam; addit etiam :

Si cito rem perages, *usus* fiet longior ;
*Fruar* diutius, si celerius c[e]*pero*.
(v. 13-14)

Jam manifesto apparet quod beneficium ab Eutycho exspectaverit. Optabat enim (nec aliud quicquam ratio conjici sinit) ut Eutychus, quem credo Graecum aut forte Phaedri civem fuisse, libertum divitem factum (quorum numerus magnus fuit illis temporibus), et propter opes magni aestimatum, praesto sibi esset adversus malevolos homines, qui et ipsi poetam vexabant, et in eum aliorum odium concitabant, contendentes hominem improbum improbis jocis aequales suos notavisse, obscurum nobilibus, divitibus pauperem invidere. Fuerunt etiam qui Phaedro extrema

mala minarentur, pararentque vim afferre et in maximum periculum eum adducere : nonnisi enim hominis ad desperationem adducti et ab inimicis oppressi et jam pereuntis voces hae esse potuerunt :

Stultum admovere tibi preces exis[timo].
(*Ibid.*, v. 20.)

.....
...Gra[viter] me t[u]t[a]re judicio tuo
(v. 27.)

Proclivis ultro [q]um sit misericordia,
S[a]epe impetravit veniam confessus reus,
Quanto innocenti justius debet dari?
(v. 21-23.)

Contra inimicos cum nihil habeat quod respondeat neque ipse se defendere possit, ad Eutychum confugit qui antea promiserat se fabellas lecturum (cf. *Prol.* « Phaedri libellos legere si desideras » (v. 1), promissumque ei memorat, et, quo citius legat auctorique faveat, tertium libellum ejus « honori et meritis » (v. 30) dedicat. Orat eum ut quasi judex stet inter reum et accusatores : properet quam attentissimo animo fabellas perlegere (in quibus defensionem sui summa arte poeta conscripsit), hortatur « ut liber animus vim sentiat carminis » (v. 3) id est sensum reconditum. Innocentiae suae testes nullos habet : num enim impedire potuit quin illi atque illi « ad se rapientes quod erat commune omnium, stulte nudarent animi conscientiam? » Cf. HAV., 43 v. 22-23). Isti autem in hominem « plebeium » (HAV., 76, v. 34), omni tutela egentem, nihil non audent.

Itaque Phaeder :

Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolent[i]is
(*Ibid.*, v. 30-31).

« bonitatem » (v. 17) et « misericordiam » (v. 21) Eutychi supplex implorat. Non dubitat quin testimonium illud ipsius rei satis habiturus sit vir probus; rogatque eum ne specie decipiatur, sed ut innocentis plebei adversus divites nequam palam fiat patronus. Denique taedio confectus jurat se nihil amplius unquam scripturum[1], ne malevolis ansam det ad calumniandum et accusandum.

1. Ego quondam legi quam pue[r] sententiam
« Palam muttire plebeio piaculum est »
Dum sanitas constabit pulchre memin[ero] (v. 33-35).

« muttire » hic valet « scribere », neque versus ad verbum intelligendus est, ut

Ne multa, Phaeder, gravi crimine insimulatus et a multis propter fabulas lacessitus, ut finem faciat calamitati suae et securitatem recuperet, Eutychum, divitem et potentem et probum virum, obtestatur ut se pauperem et inermem et vere innocentem adjuvet aperteque defendat; atque, quo facilius rem impetret, tertium librum illi dedicat, simulque ab occupato brevitatis praemium expetit.

Jam illa explicatio, necnon verbum illud « *brevitas* », nobis ad constituendum libri tertii terminum multum proderit; cavendum erit primum ne plures aequo fabulas illi libro tribuamus, deinde ne in eum admittamus ea quae aut Eutycho defensori aut periclitanti Phaedro omnino non conveniant.

Codex P (v. pp. 25-26) uno tenore habet, post prologum III, has fabularum series :

— « *Anus ad Amphoram* » ..... « *Aesopus rp Garrulo* » (hic titulum libri IV);

α) — « *Asinus et Galli* » ..... « *Serpens ad fabrum ferrarium* » (hic agnoscitur lacuna, fabula praecedenti, ut videtur, mutila. V. Havet, p. 100);

β) — « *Vulpis et Caper* » ..... « *De Leone regnante* » (Lacuna agnoscenda est post versum *Postquam labare coepit paenitentia* — V. Hav., p. 104);

γ) — Fabulae « *de Prometheo* » duos versus ultimos....., alteram de Simonide cui titulus inscriptus est « *Poeta* »;

— Epilogum « Supersunt mihi qu[a]e scribam... » cum prologo IV.

In libro ita descripto inesse aliquot turbas demonstrant primum lacunae, deinde titulus mendax qui legi debet inter epilogum III et prologum IV. At ipsae lacunae magno adjumento nuper fuerunt eruditissimo viro Lud. Havet, cum vellet prioris codicis habitum reperire a quo defluxit X, et quem per litteram Y designavit. Computatis enim inter duas continuas lacunas versibus et titulis, necesse fuit ut reperiret numerum foliorum ex quibus constant singulae fabularum series. Si autem una series 90 lineas continuerit, alia 60, alia 30, alia 210..., manifestum est singula folia fuisse tricenarum linearum, quo numero 30 illi numeri plane

proverbium relatus. Etenim in Prol. IV (Hav. 77) aperte declarat nihil jam *scribere* se voluisse :

Cum destinassem *terminum operi* [st]a[tu]ere (v. 1.)

Praeterea in toto opere nusquam de maledicis Phaedri sermonibus, attamen de acerbitate fabellarum et jocorum mentio facta est. Cf. *Epil.* II. Hav. 43, v. 10-25.

dividi possunt. Necesse est etiam ut non tantum tertio libro, verum et praecedentibus et sequentibus libris divisio ea conveniat. Quod omnino recte evenit. De totius operis computatione confer Havet lib. laud. pp. 235-241 ; nos modo quod ad librum tertium attinet breviter nunc videbimus.

L. Havet individua corpuscula habet singulas series quas littera graeca α, β, γ notavimus. Nihil tamen obstat quin arbitremur corpus esse individuum quaecumque series triginta aut pluries tricenas lineas continet.

1° In α (*Asinus et Galli — Serpens ad fabrum ferrarium*) (= Hav. 78-85) comperiuntur versus 144, tituli 9 = 153 lineae. At non adnumerandus est titulus falsus « Aesopus » (Hav. 82, 29). Item si duos alios titulos omiseris, summa fiet 150 = 30 × 5 linearum, quas continuerunt quinque folia (notat Havet ABCDE). Potuit autem profecto fabella « *Asinus et Galli* » cum fab. sequenti de Mustela et Muribus unius esse folii A, cum omnino contineant versus 30, dum conjicias titulos « Asinus et Galli[1] » et « Poeta » non singulas lineas occupavisse, sed juxta lineas exaratos esse, aut duos versus aliquos una linea esse conscriptos. (v. infra Appendicem).

Nunc si in α reliquarum fabellarum lineas computabimus, inveniemus versus 114, titulos 6 (adnumerandus est titulus Hav. 81 « Equus et Caper » etsi atramento in P exaratus est), in summam lineas 120 = 30 × 4 (vide infra p. 113) = folia BCDE.

At enim unde factum est ut in P fabellae « *Asinus et Galli* » praepositus sit titulus libri quarti ? — Vetat computatio justa linearum titulum hunc fuisse in X aut in Y. Fuit igitur demum in P hoc loco scriptus, a rubricatore inventus. Arbitror equidem in X signum aliquod fuisse quo notarentur fabulae sequentes esse libri quarti[2]; cum autem non constaret qua fabula liber vere inciperet, rubricatorem temere titulum in P addidisse post

1. Illud mihi demonstrare videtur vox illa « Galli*na* » pro « Galli », ultima syllaba vocis « tympa*na* » in fine versus septimi positae, ab ignaro scriba titulo falso addita. Conjicio quamdam hujus modi speciem fuisse :

Qui natus est infelix non vitam modo A
Tristem decurrit, verum post obitum quoque si
Persequitur illum duri fati miseria. nus
Galli Cybebes circum [in] qu[a]estus ducere et
Asinum solebant bajulantem sarcinas. Gal
Is cum labore et plagis esse mortuus li
Detracta pelle sibi fecerunt t[y]mpana.

Sin aliter, vox « Galli*na* » modo explicari potest.

2. Si enim notata fuerunt in Y folia signo III, IIII..., quod nihil nos credere vetat (cf. Edit. palaeogr. Ulixis Roberti p. 46), facile potuit scriba aut rubricator legere IIII pro III, in ipsis libri finibus.

fabulam « *Aesopus ῾p Garrulo* », praesertim cum ad paginam complendam tituli spatium addendi sibi superesset[1].

Minime igitur obstat ratio arithmetica quin disjungamus eam seriem hoc modo : A, BCDE. Disjungemus sine dubio, si fabellas diligenter intuebimur. Fabellas « *Asinus et Galli* » et « *Poeta* » sensus universus, ne dicam ipsa verba, in librum III revocat, addam in fine libri tertii.

Libro enim tertio multo melius convenit quam libro quarto fabella prior (Hav. 78) in qua conqueritur poeta « *natus infelix* » « *tristem vitam* » et « *duram fati miseriam* ». — In versibus vero « *Poeta* » (Hav. 79) nonnisi Eutychum alloquitur, rogans eum, sicut in prologo, ut « diligenter intueatur has *nenias* » et « intellegat quod interiore condidit cura angulo », id est « vim carminis sentiat » (Prol. III. Hav. 44, 3). Ex versibus

> Hoc ne loq[u]tus *sine mercede* existimer,
> Fabellam *adiciam* de Mustela et Muribus
>
> (Hav. 79, 8-9).

prior sensu cum epilogo mire congruit « Brevitat[i] nostrae [prae]mium ut reddas peto » (Hav. 76, 8 sqq) ; in altero vox « *adiciam* » demonstrat eam fabellam libri esse ultimam : adicitur enim aliquid non incipienti libro, sed potius exeunti[2]. Quam rem manifestam, mea quidem sententia, facit collata fabula « de Mustela et

1. Vide eandem edit. ibid.

2. Alia quoque demonstrant fabulas Hav. 78-79 fuisse libri tertii :

1° Versus 79, 2 « Dum nihil habemus ma[ii]us, cal[a]mo ludimus » ineunti libro omnino non convenit ; librum enim incipi hac sententia « nihil maius habeo dicendum », vix credibile est.

2° Verba « sine mercede » v. 8 (cf. « utilitatem » v. 4) :

*a*) Multo enim verisimilius expetitur « merces », « [prae]mium » (Epil. III. v. 8) in fine libri quam in initio : quare Phaeder Eutychum in epilogo, non in prologo, rogavit.

*b*) Mercedem nullam Phaeder a Particulone expectat ; at contra ipse Particulonis gratiam vult remunerare, immortalitatem ei donando. Cf. Epil. IV Hav. 96 v. 5 sqq.

3° Vox « adiciam » non solum conjunctionem duarum fabellarum significat ; sed etiam, quia cum praecedenti versu arctissime cohaeret

> Hoc ne loq[u]tus sine mercede existimer
> Fabellam adiciam etc,

declarat tota sententia poetam speravisse, addita fabula, munus expectatum (et sibi promissum) facilius se impetraturum.

4° Denique optime Eutycho, Particuloni minime, conveniunt versus 79 3-7, praesertim v. 6-7 [decipit]

> Frons prima multos ; rara mens intellegit
> Quod in[t]eriore condidit cura angulo.

(Cum quibus confer Prol. IV Hav. 77. v. 10 et 17-20.)

Muribus » cum ultima epilogi parte. Quemadmodum enim mus « saeculis retorridus qui saepe laqueos et muscipula effugerat,

> Procul insidias cernens hostis callidi :
> *Sic valeas*, inquit, ut farina es quae jaces! »

ita in epilogi fine poeta usu doctus « insolentiam » inimicorum in posterum se prudentiorem fore profitetur :

> Ego quondam legi quam pue[r] sententiam,
> « Palam muttire plebeio piaculum est »
> Dum sanitas constabit, pulchre memin[ero].
> (H. 76, 33-35).

Cum igitur et sensus id jubeat et ratio arithmetica probet, jam nihil dubitabimus fabulas « *Asinus et Galli — Poeta — De Mustela et Muribus* » libro tertio adjudicare, ut olim tribuit Rigault anno 1599.

2° In β ( « *Vulpis et Caper* » « *De Leone regnante* » Hav. 86-91) inveniuntur (v. Hav. § 128) versus 55, tituli 5, in summam lineae 60 = 30 × 2. Has fabulas sensu cum libro tertio nihil congruere apparet ex una fabella « Malas esse divitias » (Hav. 89), quam Eutycho, viro unice attento quaesitis divitiis et quaerendis (v. Prol. III) nunquam profecto poeta scribere neque potuit neque ausus esset.

3° In γ autem (Hav. 64-77) comperit L. Havet (§ 126) versus 255, titulos 14, unam (tantum??) lineam scribendo libri titulo reservatam, in summam lineas 270 = 30 × 9, et totam seriem novem foliorum (HIKLMNOPQ) « quasi unum individuum corpusculum » loco movet, adjicitque *libro tertio* post fabulam « *Aesopus rp̃ Garrulo* » ad hoc adductus, credo, quod epilogo praepositus est titulus « *Idem poeta* » (97), neque videtur epilogus sejungi posse a fabella praecedenti cui titulus est « *Poeta* ».

At si separatim considerabis epilogum III cum prologo IV, invenies in illis versus 55, titulos 2 = lineas 57. Cui numero si addideris, ut aequum est, non unam lineam, sed tres lineas titulo libri quarti scribendo reservatas, habebis in summam 60 = 30 × 2 lineas, id est folia duo PQ. Tum in praecedentibus fabulis « a fictione... » ...« *Poeta* (de Simonide) » (Hav. 64-75) numerantur versus 199[1], tituli 12, in summam lineae 211 ; at non adnume-

1. Omittendus in computatione versus 74, 1 [Nihil agere quod non prosit fabella indicat] in X, credo, additus ex 61/13 (mutato tamen « ammonet » in « indicat »), atque sine dubio inter lineas adscriptus.

randus videtur titulus 75 « Poeta », juxta primum fabulae versum, quod nonnunquam fit, adscriptus. Est igitur summa linearum 210 = 30 × 7, quae septem folia (HIKLMNO) efficiunt[1]. Itaque in γ sejungi potest pars prior (Hav. 64-75; ff. HIKLMNO) a parte posteriore (Hav. 76 + 77; ff. PQ).

Nunc autem qui fabellas ipsas perspexerit et cum libri tertii fabellis contulerit, haud dubitabit partem priorem libro quarto tribuere, non tertio. Etenim in HIKLMNO fere nullam fabellam ego video quae libri Eutycho dedicati ab homine infortunato et supplice esse potuerit. Quid enim ad praesens tempus spectant versus illi (H. 64) de lingua mulieris? Quid fabula obscena *de Prometheo* (H. 65)? Quid fabella « *de Capris barbatis* » (H. 66)? Quid fabella « *de Fortunis hominum* » (H. 67), in quam inducit Phaeder Aesopum solacium afferentem periclitantibus :

> « Parce gaudere oportet et *sensim queri :*
> Totam qu[is] vitam miscet dolor et gaudium »
>
> (vv. 9-10).

cum ipse et in ceteris totius libri partibus et in epilogo (H. 76) miseriam suam conqueratur, clametque :

> *Sed difficulter continetur spiritus*
> Integritatis qui sincerae conscius
> A noxiorum premitur insolent[ii]s ?
>
> (vv. 29-31).

Quid alia obscena « *de Canibus ad Jovem missis* » (H. 68)? Nonne stulte Phaeder, dum ipse « misericordiam » Eutychi implorat, *serpentem misericordi nocivam* memoravisset (H. 69)? Num viro diviti qui « magnas opes exaggerare quaerebat omni vigilia » fabellam « *de Vulpe et Dracone* » (Hav. 70) dicare potuit, in qua ait « Diis esse iratis natos » (v. 15) eos qui ad pecuniam custodiendam « somno carent » (v. 10)? Nunc compellatio illa in invidos (H. 71) « quid judicare cogitas, livor, modo? », et fabellae « *Mons parturiens* » (H. 73) et « *Formica et Musca* » (H. 74) ad Eutychum nihil spectant; fabellae duae *de Simonide* (H. 72 et 75) neque a praecedentibus fabellis disjungi possunt, et multo melius, ut mox videbimus, libro quarto attribuuntur.

1. Vide infra Appendicem, ubi veram (ut mihi videtur) in Y linearum computationem et foliorum terminos restitui, mutata paulum computatione L. Havet in foliis NO definiendis.

Folia igitur HIKLMNO in libro quarto sine ullo dubio collocanda sunt; folia PQ habent epilogum III cum prologo IV : epilogus III « *Idem Poeta* » postponendus est fabellae « de Muribus et Mustela », cui titulus praepositus est « *Poeta* ». Quomodo folia duo loco suo injuria mota sint, facillime conjici potest : aut enim in versandis foliis illa duo ceciderunt et a monacho parum diligenti propter titulum « *Idem poeta* » temere posita sunt post alteram de Simonide fabulam cui titulus est « Poeta », aut aliquis ejusmodi error exstitit.

Sic compositus ut exposuimus sensu et ratione arithmetica freti liber tertius et vere « *brevis* » dici potest, et miram simplicitatem praebet; quod etiam clarius apparebit ubi de singularum fabularum sensu recondito disputabimus (v. infra partem posteriorem).

## Lib. IV.

Jam nulla causa est cur alias turbas in P quaeramus. Recte post prologum IV venit series « *De Vulpe et Uva* »... « *Serpens ad fabrum* » (Hav. 80-85); tum series « *Vulpis et Caper.... De Leone regnante* » (Hav. 86-91), deinde series « A fictione.... *Poeta* : Quantum valerent » (Hav. 64-75). Epilogus IV profecto est fabella (96) « *Poeta ad Particulonem* : Adhuc supersunt... » Restant collocandae aliquot fabulae de quibus nunc disseremus, universo libri sensu fulti et ratione arithmetica a Lud. Havet adhibita. Sensum libri et mentem scribentis ostendunt et prologus, et fabellae 71 et 84, et epilogus.

Crediderim Eutychum poetae favisse; Phaeder enim ad pristinam calamitatem nusquam jam alludit. Librum quartum dedicavit Particuloni cuidam, non aliter noto quam ex hoc libello. Attamen qui fuerit ille haud difficile conjicias. Fuit, ut videtur, vir occupatus (cf. Quartum libellum, *qum va[ca]ri[t]*, perleges. Prol. v. 14. Si non ingenium, certe *brevitatem* adproba. Epil. v. 7), at non adeo attentus dulci lucro ut non delectaretur docto labore (cf. prol. v. 10, Quoniam caperis fabulis), etiamque fabellas Phaedri in chartas transferret (Prol. v. 18). Idem « vir sanctissimus » vocatur in epilogo (Hav. 96, v. 4), id est, ni fallor, vir omnibus probatus cum moribus bonis, tum judicio sano et studio litterarum eximio (cf. Prol. v. 20. Inlitteratum plausum nec desidero). Illi Phaeder librum quartum aliquot, ut videtur, annis interpositis conscriptum (v. Prol. initium) dedicavit primum gratiam quandam referens quod Particulo praecedentes libros magni fecisset (prol. v. 16-20),

doctumque poetam a vili scripturientium turba secrevisset ; deinde ut illius sapiens judicium opponeret stultitiae malignorum qui aut Phaedrum Aesopo inferiorem habebant, aut ipsum fabellarum genus improbabant (cf. fab. *Phaedrus*, Hav. 71); praesertim ut aemulorum in scribendis fabulis arrogantiam comprimeret. (Prol. v. 2-8).

Jam vide libro quarto quam non conveniant fabulae (Hav. 78-79) « *Asinus et Galli — De Mustela et Muribus* », ubi « *nenias* » vocat Phaeder scripta sua ; quam vero congruenter illi libro tribuantur fabulae (Hav. 64-75) « a fictione — *Poeta :* Quantum valerent... » de quibus singulatim infra disputabitur (v. part. poster.)

Ob eandem causam libri quarti sunt fabulae (Hav. 97-98) « *Idem Poeta :* Aesopi nomen... — *Demetrius Rex et Menander poeta* », in quibus compellat poeta et deridet Aesopi fautores obstinatos, quibus liber « non re, sed nomine » commendatur, fabulae Aesopi placent, non Phaedri. Attamen fere omnes editores, nuper quoque L. Havet fecit fabellam « *Idem Poeta :* Aesopi nomen... » prologum libri quinti ; quod non modo sensus vetat, sed ipsa verba et habitus codicis Y non admittit. Etenim nonne omnino intempestive adhibetur vox illa « *Idem* poeta » in initio libri, post titulum, aut spatium titulo exarando reservatum? Atque mirum profecto est quod in ceteris prologis numero aliquo novum librum (Prol. III, 29, librum exarabo *tertium*... — Prol. IV, v. 14 : *Quartum* libellum perleges) aut vocativo nomine novam personam indicat (Prol. II, v. 10-11. Lector,... *Illi* ?? — Prol. III, v. 2, Eutyche. — Prol. IV, v. 10, Particulo) aut verbis haud ambiguis materiam novam nuntiat (Prol. II. v. 8-12), hic nihil ejusmodi scripsit. Nunc, quod ad codicis habitum attinet, attende quam non potuerit fabulae « Aesopi nomen... » proponi titulus libri quinti : nam aut titulus paginam praecedentem complebat, quod ratio arithmetica vetat quia in ea pagina una tantum linea supererat ; aut paginam novam incipiebat, quod profecto non fuit : cum enim series « *Idem Poeta — Demetrius Rex et Menander* » contineat in Y versus 27, titulos 2, in summam lineas 29, spatium trium linearum (v. paulo infra) omnino defuit scribendo titulo. Si tamen contra omnem rationem velis libri titulum fabulae « Aesopi nomen » praepositum fuisse, necesse est, ne major sit linearum numerus, facias longiorem fabulae titulum « Demetrius Rex et Menander poeta » juxta lineas adscriptum, quod hic non verisimile est. Multo rectius lacunam unius versus statuit L. Havet post 98 v. 2[1].

1. Vide infra Appendicem.

Sequitur in P series individua « *Duo milites et Latro — Poeta ad Particulonem* : Adhuc supersunt... » (Hav. 92-96) quae librum quartum concludit. In ea serie sunt versus 85, tituli 4, in summam lineae 89. Una igitur linea deficit ad numerum $90 = 30 \times 3$ complendum ; quod fieri facile potuit in fine folii versi et totius libri, nisi forte conjicias versum aliquem in Y bis esse descriptum[1]. Quodcumque fuit, nequivit una tantum linea titulo libro sequentis reservari, cum nusquam alias minus quam 3 lineas titulus occupet. (V. Havet, pp. 32, 47, in nota.)

## Lib. V.

Reliquam seriem individuam « *Calvus et Quidam pilis defectus* »..... « *Canis et Servus et Venator* » (Hav. 99-103) fuisse libri quinti apertum facit versus ultimae fabulae 10.

Hoc cur, P[h]il[e]te, scripserim, pulchre vides.

Fuit igitur liber quintus Phileto cuidam dedicatus, scriptus, ut eadem fabella demonstrat, a Phaedro jam sene (vv. 3, 5, 8) et nobili facto (v. 9), nondum tamen inimicis omnino carente. Perierunt prologus et multae fabulae : illi libro adjungi velim majorem partem fabularum Perottinarum, eas praesertim quae leniore stilo scriptae sunt, et quae poetae animum cum senectute tum etiam prospero successu multo minus acerbum denotant. (Vide infra partem posteriorem).

Ne plura, sunt in codice P aliquot lacunae, turbae trinae. Lacunae copiam dederunt viro inter omnes de Phaedro optime merito, L. Havet, primum restituendae priorum codicum X et Y speciei, (quorum vetustior Y habuit in singulis foliis tricenas

1. Nuper L. Havet (*Rev. de Philologie*, t. XX, pp. 147-148), propter verbum sg. « contenderet » (P R et Perott) quod sequitur pl. « juberent » (P R), satis recte conjecit inter, v. 18-19, fab. 95 « *Scurra* [*et*] *Rusticus* » lacunam fuisse unius lineae, totumque locum sic fere restituit :

Ille in sinum repente demisit caput
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
Verum ut subesse pallio contenderet
[Pars spectatorum, iamque arguerent improbum],
Et excuti iuberent. Quo facto simul
Nihil est repertum, multi [h]on[o]rant lancibus
[O]m[n]e[s]que plausu prosecuntur maximo.

Lectionem ejusmodi probabilem si Y habuit, omnis difficultas in complendis foliis ipso facto evanescit.

lineas, posterior X, a quo defluxit P, lineas tricenas quaternas,) deinde emendandarum turbarum quae in X fuerunt, duobus continuis foliis inter se commutatis. Reliquae turbae jam fuerunt in Y, ubi non modo series undeviginti fabularum e libro secundo in librum primum translata est, sed etiam duo continua folia, epilogum III et prologum IV habentia, in falso loco interposita sunt; ex quo voluntario errore orti sunt multi alii errores, ita ut de terminis libri IV inter viros doctos adhuc parum constet. Una restabat via ad enodandam quaestionem rectissimą et certissima, ut duplici ratione usus aliquis cum indiciis codicum conferret diligenter excussa ea quae de singulis libris ipse poeta dixit, maxime in prologis et in epilogis. Quam ego secutus, duce L. Havet in computandis lineis, et genuinum ordinem fabularum confido me restituisse, et libro suum cuique colorem proprium redditum illustrare volui. Quae hactenus explicatis tantum prologis et epilogis brevissime exposui, ea nunc ipsae fabulae diligenter perspectae confirmabunt.

Sed priusquam de sensu fabularum recondito disserimus, censui addendam esse tabulam in qua videre erit codicis P conspectum universum.

(LIBER I)
1 *Fedri Augusti liberti lib. fabularum*[1] (Aesopus auctor...)
2 *Lupus et Agnus*
3 *Ranae regem petierunt*
4 *Graculus superbus et Pavo*
5 *Canis per fluvium carnem ferens*
6 *Vacca et Capella, Ovis et Leo*
7 *Ranae ad Solem*
8 *Vulpis ad personam tragicam*
9 *Lupus et Gruis*
10 *Passer ad Leporem consiliator*
11 *Lupus et Vulpis judice Simio*
12 *Asinus et Leo venantes*
13 *Cervus ad Fontem*
14 *Vulpis et Corvus*

(LIBER II)
Hac re probatur... (versus duo)
(11) *Ex sutore medicus*
(12) *Asinus ad senem pastorem*
(13) *Ovis cervus et Lupus*
(14) *Ovis Canis et Lupus*
(15) *Mulier parturiens. N*emo libenter. . (*N* rubra)
(16) *Canis parturiens*
(17) *Canes familici. S*tultum consilium... (*S* rubra)

Fabulae in libro secundo reponendae

1. Litterae inclinatae rubro colore in P notatae sunt.

(18) *Leo senex, Aper, Taurus et Asinus*
(19) *Mustela et Homo.* Mustela ..... (*M* rubra)
(20) *Canis fidelis*
(21) *Rana rupta et Bos*
(22) *Canes et Corcodilli*
(23) *Vulpis et Ciconia.* Nulli nocendum est (*N* rubra)
(24) *Canis et thesaurus et Vulturius*
(25) *Vulpis et Aquila*
(26) *Asinus inridens Aprum*
(27) *Rane metuentes taurorum praelia*
(28) *Miluum et Columbe*

Fabulae in libro secundo reponendae (series tota in Y e libro secundo cecidit)

(Lacuna agnoscitur) *Phedri Aug. liberti lib. secundus incipit liber tertius feliciter Auctor*

LIBER II prol.

2 *Juvencus Leo et praedator*
3 *Anus diligens juvenem item puella*
4 *Esopus ad quemdam de successu improborum.* Laceratus .... (*L* rubra)
5 *Aquila Feles et Aper*
6 *Tib. Caesar ad Atriensem*
7 *Aquila et Cornex*
8 *Muli duo et vectores*
9 *Cervus ad boves*
10 *Autor.* Aesopi ingenio statuam.....
fatale exitium
corde durato feram donec fortunam criminis

LIBER III prol.

pudeat sui; *Phaedrus ad Eutychum* ..... habebunt certe quo se oblectent posteri nunc fabularam cur sit inventum genus ..... ..... induxi te ad legendum sincerum mihi candore noto reddas

lineae 34 + lineae 34 = folia duo in X inter se commutata (Havet §§ 105-121)

1 judicium peto *Anus ad Amphoram.* Anus jacere... (*A* rubra)
2 *Panthera et pastores*
3 *Aesopus et rusticus*
4 *Lanius et Simius*
5 *Aesopus et petulans*
6 *Musca et Mula*
7 *Lupus ad Canem*
8 *Soror ad fratrem*
9 *Socrates ad amicos*
10 *Poeta de credere et non credere*
(versus 39 : *A divo Augusto tunc petiere judices*)
11 *Eunuchus ad improbum*
12 *Pullus ad Margaritam*
13 *Apes et fuci vespa judice*
14 *De lusu et severitate*
15 *Canis ad agnum*
16 *Cicada et noctua*
17 *Arbores in Deorum tutela*
18 *Pavo ad Junonem de voce sua*

19 *Aesopus respondet Garrulo*
*Phedri Augusti*
*liberti liber III explicit incipit*

20 *liber IIII. Asinus et Gallina*

Sunt lineae triginta, non computatis titulis, qui juxta versus, ut videtur, exarati sunt (v. infra, Append.).

21 *Poeta.* Joculare tibi videmur.....

*Idem Poeta* (Supersunt...)
*Poeta ad Particulonem* (Cum destinassem...)]

α totam seriem tribuit L. Havet libro IV

→ Hic reponendae sunt fabellae

(LIBER IV) 1 *De vulpe et uva* (v. infra Append.)
2 Equus et aper (v. infra Append.)
3 *Poeta*
noverat *Aesopus*
Aesopus media subito in turba constitit...
4 *Pugna Murium et Mustelarum*
5 *Fedrus*
6 *Serpens ad fabrum ferrarium*

Series individua : sunt lineae 120 = 30 × 4

(agnoscitur lacuna, fabula 6 mutila)

7 *In periculum simul ac venit callidus Vulpis et Aper*
8 *De vitiis hominum*
9 *Fur et lucerna*
10 *Malas esse divitias*
11 *De leone regnante*
postquam lavare cepit penitentia ||

Series individua : sunt lineae 60 = 30 × 2

β

(Hic agnoscitur lacuna)

12 || a fictione
veretri linguam mulieris adfinitatem· tra-
13 xit inde obscenitas. *Idem.*
14 *De Capreis barbatis*
15 *De fortunis hominum*
16 *Canes legatos ad Jovem*
17 *Serpens misericordia nociva*
18 *Vulpis et Draco*
*In avarum*
19 *Phaedrus*
20 *De Simonide*
21 *Mons parturiens*
22 *Formica et Musca*

Series individua : fuerunt in Y linea 210 = 30 × 7 (non adnumerato titulo 23 et versu 22, 1-v. infra Appendicem).

23 *Poeta.* Quantum valerent...
(22) *Idem poeta.* Supersunt mihi que... (*S*rubra)

folium unum 30 linearum, in Y loco motum, reponendum post fabulam 21 « *Poeta* » libri tertii — Omissae erant tres lineae scribendo titulo libri quarti reservatae (v. infra Append.)

PROL. IV *Poeta ad Particulonem.* Cum destinassem...

Y utramque seriem tribuit L. Havet libro III, postponit fabellae (*Aesopus rp Garrulo*)

24 *Idem poeta.* Aesopi nomen sicubi...

Series individua habuit in Y lineas 29 aut 30 (v. infra Append.)

25 *Demetrius rex et Menander poeta*

| | | |
|---|---|---|
| 26 | (Hic agnoscitur lacuna) :<br>Et vindicabit sese forti dextera. | Series individua : fuerunt in Y lineae 89, una deficiente in fine libri et paginae ad complendum numerum 90 = 30 × 3 (v. p. 23 n.) |
| 27 | *Calvus et Musca* | |
| 28 | *Asini et Porcelli* | |
| 29 | *Scurra rusticus* | |
| 30 | *Poeta ad Particulonem.* Adhuc supersunt multa... | |
| (LIBER V) 1 | *Calvus et quidam pilis defectus* | series individua[1] |
| 2 | *Procax Tibicen* | |
| 3 | *Tempus* | |
| 4 | *Taurus et Vitulus* | |
| 5 | *Canis et servus et venator.* | |

1. Facile videre est ubique me ordinem Codicis P servavisse, exceptis duobus tantum locis *manifestas* turbas praebentibus.

# PARS POSTERIOR

## De fabellarum vi et sensu recondito.

Supra demonstratum est libros alios aliis causis esse susceptos, alio scriptos animo, aliis temporibus esse editos; nunc, quae sunt in fabellis tractata, ea omnia ad ipsius Phaedri vitam pertinere videbimus, ita ut nullus unquam liber scriptoris affectus adeo habuerit.

Quid enim facere animo destinavit poeta ? Si credendum est ipsi, triplicem finem in scribendis libellis sibi proposuit : primum ut materiam aut ab Aesopo repertam « versibus senariis poliret » (Prol. I, 2), aut a se excogitatam « arte fingeret » (Epil. II, Hav. 43, 2); deinde « ut risum moveret » (Prol. I, 4); denique « ut vitam prudenti consilio moneret » (Prol. I) « errorem mortalium corrigeret » (Prol. II, 3) « moresque hominum ostenderet » (Epil. II, Hav. 43, 26). Illa jam singula nobis excutienda sunt.

### I

### *A*) Quomodo Phaeder Aesopum cum in universis fabulis, tum maxime in libro primo sit imitatus.

In libro primo non aliam nisi materiam ex Aesopo sumptam tractavit : Aesopum sibi fecit exemplar et ducem et magistrum. Jam vero in libro secundo ab Aesopo nonnihil deficit, propriamque

in viam intrare conatus, illius non discipulus sed « *aemulus* » (Hav. 42, 7) erigitur. Postea non solum se Aesopo parem, sed etiam esse meliorem contendere non veretur, acerbiusque respondet eis qui Aesopi magis quam ipsius laudes extollebant. Fabulas enim scribendas susceperat quod unum illud superfuit genus Romanis tractandum, exemplumque secutus ceterorum Latii poetarum, nihil ipse per se ausus est in lucem proferre in quo graecum scriptorem omnibus laudatum non imitatus esset[1]; genus itaque novum sene Aesopo auspice produxerat. Quemadmodum autem Horatius, Lucilii discipulus primum, mox obtrectator incesserat, ita sperabat Phaeder se, postquam Aesopi fabulas Romanis notas et probatas fecisset, propriis scriptis majorem gloriam illius gloria consecuturum esse. Verum antequam aliquid proprii ipse fingeret, curandum erat ut fabularum genus omne Romanis placeret, neve viliores esse neniae viderentur. Hoc unum in libro primo studuit.

Praeterea, quo magis delectaret legentes gratumque se eis faceret, non satis habuit Aesopiam materiam versibus polire, sed etiam fabulas ita delegit, auxit, mutavit, ut in illis aequalium mores facile quis agnosceret. Neque igitur omnes Aesopi fabulas latine reddere, neque delectas ad verbum exprimere constituerat; sed interdum, si quid ei videbatur majoris esse momenti, fusius id et jucundius explicare voluit.

> *Ego...* porro *semita[m] feci viam;*
> *E[x]cogitavi plura* quam reliquerat,
> In calamitatem *d[e]ligens* qu[a]edam meam.
>
> (Hav. 43, 14-16.)

In his « deligendis » et augendis fabulis deprehendetur verus poetae animus, et « proprii » illi « affectus » quos in eas se transtulisse profitetur. Ne tamen longius de ea re disputemus, satis erit prius omnes Phaedrianas fabulas enumerare quae etiamnunc in Aesopica sylloge reperiuntur, tum in earum nonnullis vim carminis et mentem poetae requirere. Constat Phaedrum has Aesopi fabulas in libris singulis esse imitatum :

| | | | |
|---|---|---|---|
| Lib. | I. | Lupus et Agnus | In editione Halmii 274 |
| | | Ranae regem petierunt | 76 |
| | | Graculus superbus et Pavo | 200, 201 |
| | | Canis per fluvium carnem ferens | 233 |
| | | Ranae ad solem | 77 |
| | | Vulpis ad personam tragicam | 47 |

1. Vide Hav., 97.

| | | |
|---|---|---|
| Lib. I. | Lupus et Gruis | 276 |
| | Asinus et Leo venantes | 259 |
| | Cervus ad Fontem | 128 |
| | Vulpis et Corvus | 204 |
| | (Fortasse Homo et Arbores cf. Prol. 6) : Romulus III, 14 | 123 |
| Lib. II. | Canes familici | 218 |
| | Mustela et Homo | 89 |
| | Canis fidelis | 164 |
| | Rana rupta et Bos | 84 |
| | Vulpis et Ciconia | 34 |
| | Canis et Thesaurus et Vulturius | 239 |
| | Vulpis et Aquila | 5 |
| | Anus diligens juvenem, item puella | 35 |
| | Aesopus ad quemdam de successu improborum | 221 |
| | Aquila et Cornex | 419 |
| Lib. III. | (Aesopus et Rusticus — cf. Plutarchum ? Septem sap. conviv. p. 149 E). | |
| | (Aesopus et Petulans) | |
| | Lupus ad Canem | 278, 321 |
| | (De lusu et severitate) | |
| | (Aesopus respondet Garrulo) | |
| | Asinus et Galli | 290 |
| | De Mustela et Muribus | 15 |
| Lib. IV. | De Vulpe et Uva | 33 |
| | Equus et Aper | 175 |
| | (Poeta — Aesopus) | |
| | Pugna Murium et Mustelarum | 291 |
| | Serpens ad Fabrum ferrarium | 146 |
| | De Vitiis hominum | 359 |
| | Malas esse divitias | 160 |
| | De fortunis hominum | 367 |
| | Canes legatos ad Jovem (Ὄνοι πρὸς τὸν Δία) | 319 |
| | Serpens misericordi nociva | 97 |
| | (Scurra et Rusticus) — cf. Plutarch. Quaest. conviv. p. 674 C. | |

In Appendice Perottina.

(Aesopus et Scriptor)
(Aesopus et Victor gymnicus)

| | | |
|---|---|---|
| (Aesopus et Domina) | | |
| (Aesopus et Servus profugus) | | |
| Equus abactus | Halm. | 174 |
| Cornu fractum | | 17 |
| Lupus et Bubulcus | | 35 |
| Feber sive Castor | | 189 |

Quas fabulas si quis in utroque auctore attentius perlegerit[1], facile videbit poetam ad eas deligendas non unice studio operis docte fingendi esse adductum, aut utilis dandi praecepti, aut veritatis summa cura observandae. Immo in multis ipsam brevitatem et simplicitatem Aesopi servavit, in his scilicet : I : Lupus et Agnus — Canis per fluvium carnem ferens — Ranae ad solem — Vulpes ad personam tragicam — Lupus et Gruis — Asinus et Leo venantes — Vulpes et Corvus — II : Canes familici — Anus diligens juvenem, item puella — Aesopus de successu improborum — III : Asinus et Galli — IV : Equus et Aper — Pugna Murium et Mustelarum — De vitiis hominum — Malas esse divitias. — Append. : Cornu fractum — Lupus et Bubulcus.

In aliis autem veros animantium mores notandos minime curavit ; ut in fabella « de Vacca, Capella, Ove, Leone. » Quid enim minus verisimile fingi potest quam illa mansuetorum animalium cum saevo Leone societas, aut cervus ab herbaticis praeda expetita? Hic rem jam in Aesopo ad credendum difficilem, Onagri cum Leone societatem (Halm. 258), Phaeder et falsam et rationi omnino non convenientem reddidit, mutatis fabulae personis. Itaque, etsi in Phaedro nonnunquam fabulae magis verisimiles inveniuntur quam in Aesopo (ut I : Graculus superbus et Pavo — Vulpis et Aquila — IV : Serpens ad fabrum ferrarium), tamen aliud

1. Hic tamen magna difficultas nobis occurrit, quod ipsum textum fabellarum quas Phaeder legere potuit sylloge nostra Aesopia Byzantinis temporibus, ut videtur, composita non continet. Aesopi fabellas ipse Phaeder declarat « paucas » (Hav. 43, 14-15 — 77, 12) fuisse et « breves » (Hav. 11, 3) ; illae vero quae ad nos pervenerunt et quas edidit Halmius longiores sunt et plures. Immo nonnullae rei ejusdem varias narrationes praebent. At si verba tempore mutata sunt, sensus universus fabellarum et mens auctoris fere incolumis adhuc percipitur, ut ex narrationibus illis apparet. Aesopi *materiam* habemus, at ita verbis et rebus novis involutam ut primum fontem reperire jam non possimus. Illud vero scimus, Aesopi logos compendium quoddam fuisse philosophiae moralis ac vulgaris, eosque nonnisi ad docendos homines (v. Prol. 1, 4) esse fictos, atque in eis fabulam fuisse adjumentum, ut ita dicam, sententiae moralis. Ob eam rem recte conjicimus narrationem in eis fuisse brevem, nudam, ira nulla, nullo studio excogitatam, epimythium ad universas res humanas pertinuisse, et justam naturalemque narrationis fuisse conclusionem. Quaecumque igitur pars Phaedrianarum fabellarum et ab Aesopiis fabellis differt et ab Aesopio genere abhorret, illam a nostro poeta certo consilio mutatam aut additam esse jure judicabimus.

sibi poeta proposuit quam ut mores ipsos ferarum diligenter describeret.

Denique non adeo fuit utilitatis studiosus ut semper ea praecepta exponeret quae ad institutionem vitae maxime spectarent. Multa in Aesopo omnibus utilissima documenta omisit, delegit multa ad paucos pertinentia, saepius etiam Aesopii epimythii, quo melius in propositum suum verteret, verba et vim inepte mutavit. Quo autem consilio id fecerit, collatis utriusque documentis, facile quis perspiciet : in Phaedri fabellis asperius aliquid inesse, et tristius, et mordacius, profecto judicabis. Cujus rei aliquot exempla ante oculos ponenda puto.

Fabulam de *Lupo et Agno* hoc modo Aesopus concludit : ὁ μῦθος δηλοῖ ὅτι γνώμην κακούργου καὶ πλεονέκτου λόγος οὐ πείθει, κἂν ἀληθὴς τυγχάνῃ (Halm: 274). — Aliter : ὁ λόγος δηλοῖ ὅτι οἷς πρόθεσίς ἐστιν ἀδικεῖν, παρ' αὐτοῖς οὐδὲ δικαία ἀπολογία ἰσχύει (H. 274[b]). Ab illis epimythiis quam differt haec Phaedri sententia :

> Haec *propter illos* scripta homines fabula
> Qui *fictis causis innocentes* opprimunt.

In qua notantur et petuntur quidam quos Phaedri aequales non agnoscere non poterant, Sejani delatores, credo, ipsum fortasse Sejanum (v. Havet ed. min. Praef.), omnes illos qui, ut improbam cupiditatem suam secure explerent, adversus innocentes arma conscii quaerebant.

In fabella « *de Vulpe ad personam tragicam* » (Hav. 8) narratio in utroque eadem est, diversum epimythium. Apud Aesopum enim legimus : ὁ λόγος εὔκαιρος πρὸς ἄνδρα μεγαλοπρεπῆ μὲν σώματι, κατὰ ψυχὴν δὲ ἀλόγιστον. Phaeder vero hanc sententiam scripsit : « Hoc *illis* dictum est *quibus honorem et gloriam* Fortuna tribuit, sensum communem abstulit. » Non eosdem homines ab utroque peti quis non sentit ? Nemini licere propter formam corporis eximiam, ingenii dotes sibi vindicare, omnes sciunt et assentiuntur ; quam multi vero, quia gloriam aliquam aut honorem adepti sunt, existimant se ceteris praestare non modo divitiis et conditione, sed etiam ingenio et mente excellenti : hos Phaeder pauper et obscurus lacessit, ne quis credat solis humilibus esse stultitiam, potentibus meritum.

Fabulam Ἀνὴρ μεσαιπόλιος καὶ ἑταῖραι concludit Aesopus hoc documento : οὕτω πανταχοῦ τὸ ἀνώμαλον ἐπιβλαβές ἐστι. Promythium satiram fecit Phaeder, ac odio incitatus velut telum acutum in omne feminarum genus jaculatur :

A feminis utcunque e[st] spoliari viros,
Ament amentur, nempe .....
..... exemplis discimus.
(Hav. 85, 1-2).

Utrius, Aesopine an Phaedri, sententia cum ipsa narratione melius congruat, nemo dubitabit. Recte et convenienter concludit Aesopus; Phaeder, fabulae oblitus, satiram addit.

Fabellam « *Asinus et Galli* » (Hav. 78) Phaeder ex Aesopi fabella « Μηναγύρται » convertit. In Aesopo epimythium legitur : οὕτω καὶ οἰκετῶν ἔνιοι εἰ καὶ τῆς δουλείας ἀφεθῶσιν, τῶν δουλικῶν οὐκ ἀπαλλάττονται. Phaeder autem :

*Qui natus est infelix*, non vitam modo
Tristem decurrit, verum *post obitum quoque*
*Persequitur illum duri fati miseria.* (1-3)

In hac sententia, in initio fabulae posita, diffunditur nescio quis animi dolor et maestitia; eam dicas ab homine miserrimo scriptam, fati injuriam acerbe exsecrante : hic affectus proprios declarat poeta, in summam calamitatem redactus, omnibus rebus desperatis ; oppressus enim ab inimicis[1], et spe gloriae comparandae fere dejectus, non sine justa causa timebat ne, multa nequicquam perpessus mala, in omne aevum ab exoptato honore prohiberetur.

Docet nos Aesopus, in fabella Μύες καὶ Γαλαῖ, vanae gloriae cupidinem malo esse multis « οὕτω πολλοῖς ἡ κενοδοξία κακῶν αἰτία γίνεται » aliter : « πρὸς τὸ ζῆν ἀκινδύνως κρείττων ἐστὶν ἡ εὐτελεία ἢ ἡ λαμπρότης καὶ δόξα τοῦ βίου. » Phaeder vero, sive meminerat multos alios honoratos viros a Sejano olim interfectos, sibi propter humilem condicionem vitam servatam, sive, ut aeque verisimile est, volebat plebeio sibi solacium afferre spectaculum malorum quae principibus quotidie accidebant, haec pronuntiat :

Quemcumque populum tristis eventus premit,
*Periclitatur magnitudo principum,*
*Minuta pleb*[*e*]*s* facili praesidio *latet.*
(Hav. 83, 11-13).

Fabellam de Hercule et Pluto « *Malas esse divitias* » (Hav. 89) sentimus scriptam ab homine paupertate sua superbiente et eis respondente qui illam ei vitio vertebant :

1. Vide infra De lib. tertio disputationem.

Opes *invisae merito* sunt forti viro
Quia dives arca veram laudem intercipit.

Non illud autem fabella arguit, sed nihil aliud indicat quam esse fortes viros qui divitias minime faciant. Verius multo et narrationi magis convenienter dixit Aesopus (Halm 160) : ὁ λόγος λεχθείη ἂν ἐπ' ἀνδρὸς πλουσίου μὲν τὴν τύχην, πονηροῦ δὲ τὸν τρόπον. Phaeder vero, quia divitias ipse odit, quas possidentes nonnulli ei negotia attulerunt, significare non dubitat eas esse utique malas, omnesque divites vult necessario homines esse scelestos, malis amicos, inimicos bonis. In eadem fabella, apud Aesopum avertit se Herculus a Pluto quod eum viderit maxime cum malis conversantem « παρ' ὃν καιρὸν ἐν ἀνθρώποις ἦμην, ἐώρων αὐτὸν ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον τοῖς πονήροις συνόντα ». Ad haec Phaeder, ira in inimicos suos effusa, addentem inducit Herculem :

Odi..... illum, quia malis amicus est,
*Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.*

Denique, ne longius disputemus, attende quam inter se dissimilia sint utriusque documenta in fabella de « *Serpente misericordi nociva* » (Hav. 69) : Serpentem quidam gelu contractam sinu foverat; at illa, ut calore recreata est, hominem morsu necuit. Morientem Aesopus haec dixisse refert : δίκαια πάσχω τὸν πονηρὸν οἰκτείρας. Phaeder autem, quo majus in ingratos odium concitaret, alium eventum excogitavit hoc modo :

Hanc alia cum rogaret causam facinoris,
*Respondit : « Ne quis discat prodesse improbis ».*

Rem haud verisimilem, dicet aliquis. — Assentior equidem : nemo enim adeo malus est ut ipsam pravitatem praedicet; sed omnes, etsi pessime se gesserunt, honestam facinoris excusationem quaerere et proferre solent. Hic vero serpens jactat se improbam, et nequitiam suam honori sibi ducit. Nempe voluit poeta, immoderata elatus ira, quasi ipse ingrato aliorum animo laboraret, illud ostendere : homines ingratos non temere sed certo consilio male agere, pravitatisque suae esse conscios et ea gloriari.

Interdum etiam, quo majorem auctoritatem praecepto aut rei faciat, σόφον Aesopum loquentem inducit Phaeder, cujus ore simplicius quid sit sibi in animo significet. In his fabulis, si modo mutaveris « Aesopum » in « Phaedrum », « Athenas » in « Romam », « Atticos » in « Romanos », poetae consilium manifestum apparebit.

Jam ea quae breviter diximus satis demonstrant qua mente Phaeder non modo Aesopi fabellas imitatus sit, sed etiam universum fabellarum genus tractaverit. In illis omnibus nihil aliud nisi res praesentes aut ad aequales suos aut ad se ipsum pertinentes exposuit. Cum autem sentiat se propter humilem fortunae condicionem injuriis potentiorum obnoxium, videatque hominibus inique fatorum arbitrio sortes esse datas, et eum taedeat plerumque non ingenio aut virtuti sed generi et impudentiae gloriam tribui, animi aegritudinem et dolorem versibus effundit. Quam longe abest ab illa serenitate et hilaritate boni nostri Fontanii! Nunquam ridet, semper morosus est; res, homines sine ira aut studio intueri non potest. Crediderim eum non sine certa ratione fabellam de Lupo et Agno exordium libri primi fecisse. Ubique ostendit triumphantem injustitiam, innocentiam oppressam, vim et nequitiam prosperam : ubique poeta miser et obscurus suam ipsius sortem dolet, causam suam defendit. Illud praecipue bilem ei commovet quod vera laus contemnatur, stultis sint honori divitiae, doctis probro paupertas. Ea causa est cur divitias acerrimo odio in tota vita sit persecutus.

E Thracia[1] Romam adhuc puer nescio quo casu adductus, servusque, postea libertus Caesaris Augusti factus, e loco maxime ad id idoneo spectare potuit hominum mores, multorum stultitiam, cupiditatem, eorum praesertim insolentiam qui pravis artibus subito ad summam fortunam pervenerant, totius denique populi romani, tyranno nunc servientis, tacitas querelas, formidines, vota. Ea omnia in fabellis exposuit, non aequo animo, sed difficulter contento spiritu. Quod ipse aperte professus est se in illis fabulis fecisse quarum materiam ab Aesopo acceperat :

> *Servitus obnoxia,*
> Quia quae volebat non audebat dicere,
> *Affectus proprios in fabellas transtulit,*
> Calumniamque fictis elusit [j]ocis.
> *Ego... porro semita[m] feci viam.*
>
> (Hav. 43, 10-14.)

Hanc fuisse veram causam cur fabularum genus inventum sit, nemo putabit; hoc consilio Aesopi imprimis logos esse excogitatos ne ipsum quidem Phaedrum unquam credidisse existimo; sed eum, cum aliter de utilitate fabularum ipse sentiret, Aesopi tamen materiam tantum se polivisse vellet, Aesopo proprium suum propositum tribuisse[2]. Irascitur igitur hominibus aetatis suae quod,

1. Cf. Hav., 44, 17 — 43, 32-35.
2. Cf. Prol. I cum Epil. II.

falsa specie decepti, divites, non se virum doctum, laudibus prosequantur; irascitur stolido Fato (cf. *Fatale exitium* Ep. II (Hav. 43, 7) — *dura fati miseria* III, 20 (Hav. 78, 3) quod virtutem obscuro in loco latere sinat. Cum autem rerum faciem mutare non possit, juvat eum improbos lacessere, et stultos deridere. Si modo illas libri primi fabulas intueris, improbos impugnavit quinquies (in fabb. 2, 6, 7, 9, 11), stultos octies (in fabb. 3, 4, 5, 8, 10, 12, 13, 14). Tum in universis fabulis eosdem saepissime odio et jocis insectatur.

Nunc, qui talia sibi proposuit, num potuit inimicitias non suscipere? Notaverit « non singulos », verum illud « quod erat commune omnium »; at certe acri stilo librum exarando multis iram movit. Posterius quoque, dum calumniantibus vult se excusare, acerbius etiam eos deridet, adeo eum natura sua ad « improbos jocos » impellit.

Suspi[c]ione si quis errabit sua
Et rapiet ad se quod erit commune omnium,
*Stulte nuda[b]it animi conscientiam.*

Quicumque illi fuerunt, nihil mirandum est quod, ad suam ulciscendam injuriam, rem ad Sejanum retulerunt, et illum quoque libello peti ostenderunt. Ad utrosque se allusisse Phaeder non infitiatur; queritur tantum a Sejano se nimia paena esse affectum :

Quod s[i] accusator alius Sejano foret,
Si testis alius, judex alius denique,
*Dignum faterer* esse me tantis malis.

Duas imprimis fabulas in Sejanum scriptas esse apparebat, tertiam et septimam. In septima, cui titulus est « *Ranae ad Solem* », derisisse videtur poeta Sejani audacia consilia volentis Liviam, Drusi viduam, uxorem ducere (cf. Taciti Ann. IV, XXXIX). Idcirco materiam Aesopi (cf. Halm. 77), ne quis suspicione erraret, duobus locis novavit significanter. Primum induxit Aesopum, id est Phaedrum, de « *furis* » nuptiis narrantem : Fur haud immerito haberi potuit qui equestri loco natus fraude scelesta principatum occupare gestiebat. Deinde noluit ranas ut apud Aesopum laetari : sed, quemadmodum omnes Romani metuebant ne voti compos fieret Sejanus[1], nonnulli fortasse Deos rogabant ut istud malum a se

1. Cf. TACIT. *Ann.* IV. XLI. Rursum Sejanus, non jam de matrimonio, sed altius metuens, *tacita suspicionum, vulgi rumorem, ingruentem invidiam* deprecatur. Ac ne..... facultatem *criminantibus* praeberet, huc flexit ut Tiberium ad vitam procul Roma..... degendam impelleret.

averterent, ita ranas depinxit afflictas, « clamorem ad sidera tollentes », Jovemque orantes ne se jam miseras miseriores etiam esse pateretur.

Simili modo in mutanda et augenda Aesopi fabula Βάτραχοι αἰτοῦντες βασιλέα (Halm 76), delegit ea quae se, Tiberium, Sejanum, res Romanas, Romanum populum manifeste significarent. Longum itaque prooemium fabellae praeponendum curavit, ne quid dubii legentibus relinqueretur :

1 Athenae quum *florerent aequis legibus,*
2 *Procax libertas civitatem miscuit*
3 Frenumque solvit pristinum licentia.
4 Hic *conspiratis factionum partibus,*
5 *Arcem tyrannus occupat Pisistratus.*
6 Cum *tristem servitutem flerent Attici,*
7 (*Non quia crudelis ille*, sed quoniam gravis
8 Omnino insuetis), onus et *coepissent queri,*
9 *Aesopus* talem tum fabellam re[t]tulit.
10 Ranae vagantes *liberis* paludibus... etc.

(I. 3.)

Memorantur versibus 1 et 10 tempora illa liberae et florentis Romanorum civitatis ; versibus 2 et 3 bella civilia ; versibus 4 et 5 triumviratus, et Octaviani Augusti, postea Tiberii principatus, versibus sequentibus Romanorum desideria et querelae, etsi Augustus, ut olim Pisistratus, injustae occupationis memoriam prudenti administratione et clementia et beneficiis obliterare conatus est, Tiberius quoque, primis regni sui annis, haud crudeliter se gessit. Hujus autem tyranni maxime Romanos pertaesum est, postquam eum occultum et inertem senserunt. Mox, Sejano saeviente, ubique caedes, formido, maestum silentium. Tacite nunc deos orabant ut sibi auxilio venirent, frustra.

Tunc prodit Aesopus alter, Phaeder, monetque afflictos cives stultitiae et insolentiae dare paenas ; ne diutius caelum precibus fatigent : belluam istam, Sejanum, in calamitatem populi romani a diis consulto esse missum.

Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere coepit singulas. Frustra necem
Fugitant inertes, vocem praecludit metus.

(v. 24-26).

Similiter Tacitus in Ann. IV, LXIX « Non alias magis anxia et pavens civitas, »... LXX «¿Trahebatur [Sabinus] damnatus clami-

tans « ... has Sejano victimas cadere! » Quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas; deseri itinera, fora... »

Hortatur denique Phaeder Romanos ut pestem istam patienter ferant, quasi non confidat praesentem calamitatem jam finiri posse.

> Vos quoque, [o]cives,...
> Hoc sustinete, majus ne veniat, malum.
>
> (v. 30-31.)

In hac igitur fabula, neque Sejanum, neque Romanorum quemquam latere potuit Phaedri consilium.

In aliis apologis poetam facile crediderim mores universos et « quod fuit commune omnium » ostendisse; in nonnullis tamen ad res hominesque illis temporibus insignitos, nostris minime notos, alludere debuit; in omnibus deligendis ac tractandis naturae suae vehementiori et acerbiori indulsit, suos ipsius affectus exposuit.

## *B*) De Phaedro fabellarum inventore, vel de fabulis post librum primum scriptis.

Nunc, si ad eas fabellas transibimus quas Phaeder « non Aesopi sed Aesopias » vocat (Hav. 77, 11) et quarum multas ipse excogitavit « rebus novis usus, vetusto genere » (*ibid.*, v. 12), etiam facilius erit vim quandam satiricam in eis agnoscere, nonnunquam animum poetae morosum, ubique proprios hominis affectus. Ex quo enim Aesopi vestigiis minus institit, animadvertendum est eum magis ac magis ingenio suo vela permisisse. Itaque, sive homines, sive feras in scenam induxit, nihil non finxit quod aut ad alios impugnandos aut ad sui defensionem non pertineret.

### *De Libro Secundo.*

Librum secundum quo animo scripserit ipse nos docet. Voluit primum alterum Aesopum se haberi quem Latium Graeciae opponere posset :

> [E]quidem omni cura morem servabo senis,
> Sed si libuerit *aliquid interpone*[*re*]

Dictorum sensus ut delectet varietas,
Bonas in partes lector accipias velim.

(Prol. — Hav. 33, 8-11.)

.....
Quoniam occuparat alter [ut] primus foret,
*N*[*e*] *solus esset stud*[*u*]*i*, quod superfuit.
Nec h[a]ec invidia, verum est [*a*]*emulatio*.
Quod si labori faver[i]t Latium meo,
*Plures habebit quos opponat Gr*[*a*]*eciae*.

(Hav. 42, 5-9.)

.....
Si Phr[y]x Aesopus potuit, Anachars[i]s Scyth[e]s
[A]eternam famam condere ingenio su[is],
Ego, litteratae qui sum pro[p]ior Graeciae,
Cur somno inerti deseram patriae decus?.....
Ergo hinc abesto, li[v]or, ne frustra gemas,
Quo[m] jam mihi sollemnis d[a]b[i]tur gloria.

(Epil. — Hav. 43, 28 sqq.)

deinde, in calamitatem a Sejano conjectus et invidiae multorum obnoxius, fabulas novas secreto (vide supra partem priorem) ut dolorem suum deleniret, composuit.

Quod *s*[*i*] *accusator alius Sejano foret*,
Si testis alius, judex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
*Nec his dolorem d*[*e*]*l*[*e*]*nirem remediis*.

(*Ibid.*, v. 17-20.)

Itaque ostendit in fabella « *Juvencus, Leo et Praedator* » (Hav. 34) modestis (cf. Prol. : si libuerit *aliquid* interpone[re]) tribuendum esse plus etiam quam petierint (cf. Prol. : Bonas in partes, lector, accipias velim). Ad Phaedrum, Aesopi imitatorem et aemulum, haec pertinent :

Non est qu[o]d timeas
E[n], quae debetur pars tuae modestiae,
Au[d]acter tolle.

(vv. 7-9.)

Quam vero eum piget quod aequales suos Leonis justitiam imitari parum paratos videat, honores divitibus dari, sibi pauperi, quamvis modesto, gloriam debitam denegari.

Exemplum egregium prorsus et laudabile ;
Verum est aviditas dives et pauper pudor.

(vv. 11-12.)

De narratione haud verisimili nihil dicemus, scimus enim illud Phaedrum minime curare, dum propositum suum efficiat.

Idem ad inimicos suos manifeste alludit in fabula cui titulus « *Aesopus de Successu improborum* », (Hav. 36) quasi nolit diutius ansam dare ad maledicendum, statueritque secreto animi dolorem levare quia

Successus improborum plures allic[i]t.

(v. 7.

Aliud autem videtur mihi esse fabella « *Aquila, Feles et Aper* » (Hav. 37) ac nudus apologus. In ea significat, opinor, Aquila Sejanum, Sus Phaedrum, Feles eos qui, utriusque simulantes esse se studiosos, Sejanum Phaedro invisum, Phaedrum Sejano suspectum fecerunt. Admonet cives suos poeta « Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali » suadetque eis ne « stulte creduli » maledicentibus protinus confidant. Fateor tamen versus ultimos (21-24) ad Sejanum non pertinere, cum solus Phaeder in calamitatem venerit ; verum comperimus, teste ipso Phaedro [1], non semper in omnibus versibus poetae res proprias designari, sed saepissime in aliqua parte fabulae : illud igitur maxime intuendum est « quod interiore condidit cura angulo. »

Narratiunculam « *Tib. Caesar ad Atriensem* » (Hav. 38) et maximi momenti habuit et diligentiore stilo exaravit, in qua, sex praepositis versibus, lectorem cohortatur ut attento animo « veram fabellam » audiat. Hic enim non solum genus fabularum novum suscepit, sed maxime affectus proprios ostendit, rem ad se pertinentem narravit, sibi magis quam aliis scripsit. Servus olim ab Augusto propter ingenii dotes aut merita quaedam, credo, manumissus est. Nunc, ut omnes sciant eximia virtute Phaedrum alapam meruisse, servum illum deridet tantum sibi sumentem ut speret per vile officium libertatem sibi tributum iri. Itaque non jam Tiberii inertiam, ut in libro primo, notat, sed mentem principis sapientem qui veram virtutem a falsis meritis secreverit, collaudat. Haud sine gaudio quodam et superbia « majestatem tanti ducis jocantem » inducit in servum arrogantiorem :

Non multum egisti, et opera nequiquam perit ;
*Multo major*[i]*s* alap[a]e mecum ven[e]unt.

(v. 24-25.)

His verbis « multo majoris » poeta propriam suam virtutem extollit ; quod quo melius significaret, in fine fabellae consulto

1. V. Hav. 79.

collocavit, singulis narrationis partibus ita dispositis ut lectorem maxime commoverent.

Ejusmodi fabulae, sereno et hilari animo scriptae, raro apud Phaedrum inveniuntur, illis praesertim temporibus quibus Sejani victima exstitit. Memoria malorum suorum semper mentem ejus occupat, iramque ei movet continuo cum in ipsum Sejanum, tum etiam in illos per quos a Sejano est oppressus. Ad illorum nequitiam, ad suam miseriam dilucide alludit in fabella « *Aquila Cornex et Testudo* » (Hav. 39).

> *Contra potentes* nemo est *m[u]nitus* satis ;
> Si vero accessit *consiliator maleficus*,
> *Vis et nequitia* quicquid oppugnant ruit.

Hac testudine quae « corpus cornea domo abdiderat, ne ullo pacto laedi posset condita », manifeste significatur poeta ad notandos improbos fabularum usus genere, ut ab illorum injuria tutus maneret. Quod autem « opimam praedam » (v. 8) se vocavit, nemo mirabitur cui natura et sensus ejus noti erunt.

> *Promissa parte*, suadet <Aquilae Cornix> ut scopulum super
> *Altis ab astris duram inlidat corticem*,
> Qua comminuta facile[m] vescatur cib[um] (v. 11-13).

Conjicio ego delatores istos speravisse fore ut non Sejani tantum sed suas quoque injurias ulciscerentur si gloriae sollemnis spe dejecti Phaedri vires frangerentur, id est si ei interdiceretur ne fabellas in publicum emitteret ; tum, poeta ad silendum redacto, ipsi postea securi forent. Ut testudo cornicis nequitiam, sic Phaeder illorum improbitatem non praeviderat : utrique sua imprudentia exitio fuit. Testudo enim

> ... tuta quae *natur[a]e* fuerat munere,
> Impar duabus occidit tristi nece. (v. 16-17).

Phaeder autem totius vitae spes omnes amisit, cum et liber abolitus esset, neque jam quicquam ei scribere liceret.

Unum tamen in tanta calamitate consolatur illum, quod vitae suae Sejanus pepercerit ; itaque in fabella « *Muli duo et Vectores* » (Hav. 40) « se contemptum gaudet », laetaturque quod, quo tempore nobilissimi cives ad necem ab illo traherentur, ipse, homo obscurus mortem effugerit.

> tuta est hominum tenuitas ;
> Magnae peric[l]o sunt opes obnoxiae. (v. 13-14).

Arbitror Phaedrum in fabella « *Cervus ad boves* » (Hav. 41) in qua arguit « Dominum videre plurimum in rebus suis », praecavisse ne quis de libro suo temere judicaret. Calumniantibus respondet se judicium invidorum et indoctorum nihil curare, neque alium posse laudem libelli juste aestimare quam qui libellum conscripserit. Notatu enim dignum est eam sententiam « Dominum, etc » consulto praepositam esse illi loco quo sibi vindicat poeta honores Aesopo tributos et de inimicis suis contemptius loquitur.

> Si li[v]or ob[tr]ectare curam voluerit,
> Non tamen eripiet laudis conscientiam.
>
> (Hav. 41, 10-11).

Veniamus nunc ad seriem Havet 14ª-32 : quae, quocumque loco reponenda est, libri secundi profecto fuit ; cujus rei jam supra demonstratae (v. partem priorem) novum documentum erit sensus singularum fabellarum reconditus.

Honores et gloriam ingenio et doctrinae esse tribuendam, ut epilogus, ita indicat argumentum fabellae deperditae (Hav. 14ª).

> Hac re probatur quantum *ingenium* [pol]le[a]t ;
> Virtute semper praevalet *sapientia*.

Cui fabellae postpositam fabellam « *Ex sutore medicus* » (Hav. 15) ipse Phaeder, ut videtur, excogitavit ut doctorum modestiam impudentiae stultorum facete opponeret. Aliis verbis eadem fere hic significavit quam in fabella prima « *Juvencus Leo et Praedator* » (Hav. 34).

De fabella « *Asinus ad senem pastorem* » (Hav. 16) supra (p. pr.) disputavimus, intellegimusque ibi Phaedrum, summa calamitate afflictum, jam minime curare uter imperitaret, Sejanusne an Tiberius.

Ad inimicos suos Phaedrum alludere in fabella « *Ovis Cervus et Lupus* » (Hav. 17) ego pro certo habeo, primum quod argumentum pluris fecit quam ipsam fabulam, in qua de re omnino non verisimili agitur ; praeterea quia de auctoribus calamitatis suae argumentum ipsum maxime convenienter edidit.

> Fraudator homines cum a[d]vocat spons[um] improbo[s],
> Non rem expedire, sed mala videre expetit.

*Fraudator* dici rectissime potuit Sejanus, quem in libro primo *furem* poeta vocavit (fab. 7) ; improbi autem haud inepte ab eo

sponsum advocati, illi qui cum eo adversus Phaedrum conjuraverunt; quorum omnium « dolum » et nequitiam si Phaeder praevidisset, mala praesentia fortasse vitavisset.

Nunc vero illi nihil aliud superest quam ut fata deploret sua, optetque ut isti a quibus false accusatus est « luant paenas malefic[i] ». Quem affectum transtulit in fabellam « *Ovis Canis et Lupus* » (Hav. 18), in qua per « Calumniatorem Canem » et « Lupum citatum testem » mendaces suos inimicos notavit, per Ovem vero innocentem quae « damnato falso testimonio, quod non debebat solvit », se ipsum et sua immerita mala dilucide significavit. Vota facit denique ut sibi contingat ut olim maleficos videat justa poena affectos, et rursus clamare possit :

Haec... merces fraudis a superis datur.

Videtur ex fabella « *de Muliere Parturiente* » (Hav. 19) Phaeder, ut inimicorum insolentiam in dies crescentem effugeret, consilium iniisse Roma decedere, aut etiam decessisse aliquandiu donec tutior ibi commoratio sibi esset. Quo affectu scripsit haec :

Nemo libenter recolit qui laesit locum.

et haec :

Minime..... illo posse confido loco
Malum finiri quo conceptum est initium.

Verum vox illa « *libenter* recolit » obstat ne conjiciamus eum invitum in exilium esse missum.

In fabella « *Canis parturiens* » (Hav. 20) (v. supra p. pr.) Sejani consilia blanditiis simul et conjuratione parantis Tiberium regno pellere, poeta, ut mihi videtur, denotavit.

Quos autem in fabella *de Canibus familicis* (Hav. 21) petierit, incertum est; haud inepte tamen existimet aliquis ab eo ravulas illos derideri qui, cum Phaedrum viderent oppressum et omni defensione egentem, conabantur et ipsi ei insultare.

Illorum multi, ignavi olim, nunc in miserum insolentes et audaces facti erant. Ad eos indignans Phaeder alloquitur in fabella « *Leo Senex Aper Taurus et Asinus* » (Hav. 22), simul potentioribus inimicis respondet a quibus impune laeditur. In argumento aperte consilium poetae ostenditur :

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
*Ignavis etiam jocus est in casu gravi.*

Tum in tota fabella casus et affectus ipsius Phaedri referuntur. Ut Leo, sic poeta « desertus viribus jacet », si non spiritum extremum, at certe vitam miseram trahens, inimicis obnoxius « veterem injuriam vindicantibus » (credebant enim se notatos esse libro primo) : eos imitati alli ad quos fabellae nihil pertinent, ut asinus in leonem morientem, ita ignavi in Phaedrum impune impetum faciunt. Quibus recte poeta :

> Fortes indigne tuli
> Mihi insultare ; te, naturae dedecus,
> Quod ferre [in m]orte cogor, bis videor mori.
>
> (v. 10-12.)

Fuerunt contra qui misericordiam suam aut beneficia in Phaedrum jactarent, in speciem amicitiae, revera quia timebant ne mores suos ille notaret. Hos monet se neque eorum vano beneficio decipi, neque eis parsurum, fabella *de Mustela et Homine* (Hav. 23).

> ..... Faceres si causa mea,
> Gratum esset.....
> Noli imputare vanum beneficium.
> .....
> *Hoc in se dictum debent illi agnoscere*
> Quorum privata servit utilitas sibi,
> Et meritum inane jactant imprudentibus.

Aliis etiam timentibus ne improbitatem suam poeta notam faceret, curantibusque illum muneribus capiendum, respondere videtur fabella *de Cane fideli* (Hav. 24) :

> Heus,..... linguam vis meam praecludere
> Ne latrem pro re domini ? Multum falleris.

Voces tamen illae « linguam... pro re domini » aptius fortasse illis dici potuerunt qui a Sejano impetraverant ut Phaeder silere cogeretur ; quibus poeta : nihilominus, inquit, et injustam damnationem clamabo, et propositum meum tenebo.

Ambiguum etiam inesse puto in fabella « *Rana rupta et Bos* » (Hav. 25) in qua socordiam deridet non modo eorum qui opes divitum aequare gestiunt, verum imprimis, ut in fabella « *Leo senex, Taurus, Aper et Asinus* », illorum qui potentiorum in Phaedrum injurias imitari volebant.

Apparet ex fabella sequenti « *Canes et Corcodilli* » (Hav. 26) poetam calamitate edoctum, quidquid molirentur inimici, cavisse ne rursus, adhuc vivente Sejano, ansam daret criminantibus.

At, etsi cogitur nunc tacere, nondum tamen « causae irarum saevique dolores » ejus « exciderunt animo », injuriasque acceptas secreto parat ulcisci, ubi occasio occurret. Haec secum reputans, fabellam scripsit *de Vulpe et Ciconia* (Hav. 27) :

> Nulli nocendum[st]; si quis vero laeserit
> Multandum simili jure † fabella ammonet.

Nec mora, in fabulis sequentibus nihil aliud quam speratam vindictam meditatur, telaque destinata cujuscumque generis inimicis exacuit.

Continuo libertum quendam (cf. v. 2 et 11) malis artibus subito divitem factum insectatur in fabella « *Canis et Thesaurus et Vulturius* » (Hav. 28) ; illius mores turpes et scelestos notat, illi « injectam divitiarum cupiditatem, Pacnas ut sanctae Religioni penderet » refert, illum denique merita morte affectum iri Phaeder sperat. Tum, stans super eum ut super canem Vulturius, quo gaudio dicet :

> O canis, *merito jaces*,
> Qui concupisti *subito regales opes*
> *Trivio conceptus, educatus stercore.*

Jam potentibus minatur vindictam suam, in fabella *de Vulpe et Aquila* (Hav. 29). Ad quos :

> Quamvis *sublimes debent humil*[*i*]*s metuere*,
> Vindicta docili quia patet sol[l]ertia[e].

In fabella autem *de Asino irridente Aprum* (Hav. 30), eodem fere animo vult significare quo contemptu dignos habeat « stultos » illos qui

> risum dum captant levem
> Gravi destringunt alios contumelia,
> Et *sibi* [*v*]*o*[*lentes*] *cónci*[*e*]*nt periculum.* (1-3.)

Illis jam vidimus irasci poetam in fabella « *Leo senex, Aper, Taurus et Asinus* » (Hav. 22). Nunc vero, repressa ira, insultantes despicit serenus :

> Facilis vindicta est mihi,
> Sed inquinari nolo ignavo sanguine ; (10-11.)

monet tamen ut sibi caveant (v. 3).

De Fabula « *Ranae metuentes Taurorum praelia* » (Hav. 31) vide supra, pp. 10-11.

Denique in fabella « *Miluus et Columbae* » (Hav. 32) videtur Phaedrum poenitere imprudentiae suae, quod « homini improbo » et « bilingui » (cf. fab. II, 5, Hav. 38), delatori scilicet, confisus, *exitium* invenerit. De qua re dum recogitat, sibi ipse irascitur, neque multum abest quin se stolidae simplicitatis meritas dare paenas profiteatur :

Merito plectimur,
[Huic spiritum praedoni quae commisimus.]

Praeterea notatu dignum est quod vocem illam « *exitium* » hic adhibuit Phaeder, ut in epilogo (Hav. 43, 7), ad calamitatem suam significandam.

Omnes igitur libri secundi fabellae cum prologo et epilogo aptissime congruunt, neque in illis aliud quicquam designatur quam ipsius poetae affectus nunc gloriam sibi debitam vindicantis, nunc deplorantis calamitatem suam, nunc inimicis irascentis et minitantis.

## *De libro tertio.*

Librum tertium supra demonstravimus (p. 11) aliquandiu post Sejani mortem, imperitante Claudio, in publicum esse emissum. Jam commode potuerat Phaeder novas scribere fabulas, et eos deridere per quos a Sejano erat oppressus, aut quorum insolentiam impune ferre hactenus coactus erat. Quod fecisset profecto, opinor, si res gravissima ei non accidisset : suscepit enim, edendo libro secundo, novas inimicitias, rursusque in summam calamitatem adductus est. Fuerunt primum qui *doctum* ejus *laborem* Aesopi fabellis inferiorem haberent, et a quibus Phaeder *fastidiose in coetum* poetarum *reciperetur* (prol. v. 23); alii etiam qui, ad se trahentes quaecumque in fabellis notabantur, poetam hominem esse improbum, omnium contemptu dignum contenderent, minarenturque ei se gravissima negotia facessituros. Librum tertium ut utrisque responderet, horum ineptum judicium derideret, illorum falsa crimina propulsaret, conscripsit. Nusquam acrior fuit et in impugnando et in defendendo; nusquam proprios affectus, irati viri et in inimicos indignantis, tum patronum deprecantis, studiosius exposuit. Nec jam plerumque dubiis verbis utitur, verum, quo facilius ab Eutycho intellegatur, ipse suo nomine aperte in scenam prodit et totam fabellam sibi unice scriptam

esse palam profitetur ; nunc omni dissimulatione abrupta, malevolos aperte impugnat exacerbatus.

Duplex igitur angit eum cura : ut scribendi laudem sibi vindicet, imprimis ut innocentiam suam firmet. Hoc maxime consilio librum Eutycho, diviti ac potenti viro, dedicat, rogatque eum ut se inopem et malorum injuriis obnoxium in tutelam recipiat, simul integritatem suam diligentissime exploratam praedicet. A Illum non modo in prologo et epilogo toto sed etiam in longiore fabella 10 (Hav. 54) et in fab. 21 (Hav. 79) directo alloquitur ; B in ceteris fabellis inimicos suos omnis generis aggreditur et deridet.

## A

Qua cura praecipit Eutycho ut quam attentissime libellum perlegat ! Monet eum « viles nenias » opus esse « maximi momenti » in eis inesse sensum reconditum, magnam utilitatem reperiri (v. f. 21, Hav. 79). Timere videtur ne Eutychus, lucri studiosior quam litterarum, « vim carminis » parum sentiat. Sperat enim illum, postquam fabellas ad id ipsum accurate compositas animo perceperit, poetae praesidium antea promissum celerius esse allaturum. Suadet igitur ei, immo ab eo fere exigit ut « a negotiis vacet »

> Vaces *oportet*, Eutyche, a negotiis
> Ut liber animus sentiat vim carminis ;
>
> (Prol. Hav. 44, 2-3.)

ni faciat, nequicquam « manibus » libellum « *tactum iri* » (ibid., v. 6) eum admonet ; vult etiam Eutychum « ipsum vitae genus » omnino « mutare », ut « soluto pectore » arte fictas fabulas plane intellegere possit :

> Mutandum [id] tibi propositum est, ut vitae genus,
> Intrare si Musarum limen cogitas[1].
>
> (*Ibid.*, 15-16.)

Nimia quidem postulare Phaedrum jure dicas : plerumque enim, ut fabellarum sensum animus accipiat, non necesse est lector adeo studium et operam eis impertiat, aut ita mentem ad eas applicet, ut « uxorem », « amicos », « rem domesticam »

1. Cogitas P (ut v. 1 desideras <cum infinitivo> = cupis ; cf. PLAUT., *Stich.*, 4, 1, 10 ; *Merc.*, 1, 2, 37 — CAES., *Bel. Gall.*, 4, 2, etc.)

neglegere cogatur ; neque solent auctores ab illo cui dedicant aliquid etiam atque etiam efflagitare ut librum sedulo perlegat. Hic vero Phaeder certo consilio fabellas et scripsit et Eutycho dedicavit : quem adducere voluit ut poetam innocentem et doctum adversus improbos et stultos defenderet.

Jam singulas fabulas intueamur : in quibus comperire erit Phaedrum ita et materiam ipsam delegisse, et omnia disposuisse, jocos denique et epimythium addidisse ut causam suam hominis injuste accusati quam optime oraret.

Quod ad accusationem pertinet, curat primum Phaeder admonendum Eutychum ne specie deceptus de re judicet (mordax enim in fabellis nulli non videri poterat), deinde mentem ejus in insontem miseratione permovendam ; suadet etiam ei ut rem diligenter cognoscat, et, integritate poetae comperta, innocentem in tutelam audacter sumat et ab improborum insolentia tutum praestet.

Innocentiam suam simul ac fabellarum meritum (quo melius ad legendum adduceret Eutychum) poetam in fabella « *Anus ad Amphoram* » (Hav. 45) arguisse, ex epimythio apparet :

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna faece e[x] testa nobili
Odorem quae jucundum late spargeret.
Hunc postquam totis avida traxit naribus :
O suavis anima ! quale [in] te dicam bonum
Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae ?
*H*[o]*c quo pertineat dicet qui me noverit.*

Hic Phaeder non, ut vulgo creditur, primas suas fabellas cum recentiore libro confert : num poeta, quo tempore Aesopo non modo aemulari se profitebatur, sed etiam sperabat fore ut antecelleret, potuit primas suas fabellas ex alio sumptas pluris facere quam fabellas nuper scriptas, quarum multas et ipse invenit et proprio nomine signatas commendavit?

Vult L. Havet (praeeunte Loebker, *N. Jahrb. f. Philol.* 74 anno 1856 p. 301) « epotam, sed memoria jucundam » significavisse Phaedrum « libertatem publicam ». At quae libertatis « reliquiae » Phaedri temporibus extiterunt? Aut quid ad ipsum Phaedrum (cf. v. 7) spectat tota fabella sic explicata?

Una mihi videtur interpretatio cum fabella tota ceterisque libri partibus consentanea : cupit Phaeder doctum suum laborem ab Eutycho perlegi diligentissime, seque praedicari poetam egregium simul atque virum optimum : significat igitur eum qui versus aeterna memoria dignos scripserit, (cf. III Prol. Hav. 44, 3-2 —

IV Prol. Hav. 77, 19; Epil. Hav. 96, 5-6) esse et vita integra et dignum cujus Eutychum misereat. Nota enim huic fabellae praepositos esse versus ultimos prologi :

> Quem si leges laetabor; sin autem minus,
> *Habebunt certe quo se oblectent posteri.*

Sperat Phaeder innocentiam suam et laudes a posteris agnitum iri. Tota fabella, ut mihi quidem videtur, haec fere significat : Olim cum posteri, post mortem meam, scriptis meis delectabuntur, dicent profecto : « Quale in poeta bonum fuit, tales cum fabellas reliquerit. » Ita sane sentiet Eutychus postquam me noverit (cf. Hav. 54, 58), id est libellos meos legerit.

Specie homines saepe decipi Eutycho memorat in fab. 4 « *de Lanio et Simio* » (Hav. 48). In qua et rem levissimam narrat, et parum lapide jocari mihi videtur ; at scimus eum illud nihil curare, dum propositum suum efficiat. Hic nihil aliud voluit quam Eutychum sibi propitium, diffidentem inimicis suis facere.

Itaque, cum tota fabella versus contineat septem, tribus versibus argumentum explicuit, jocum minus facetum et docto homine indignum excusavit :

> Ridicule magis hoc dictum quam vere [a]estimo;
> Quando *et formosos s[a]epe inveni pessimos,*
> Et *turpi facie multos cognovi optimos.*

Ejusmodi aliquid etiam in fab. 7 « *Soror ad Fratrem* » (Hav. 52) arguitur : non facie, sed moribus homines valere; *formam pulchram* nonnunquam *nequitiae malis corrumpi*, *faciem* quamvis *turpem bonis moribus* temperari et illustrari (v. 15-16). Non enim potuit Phaeder obstare quin sibi noxii maledicerent; verumtamen, etsi quosdam in fabellis notavisse videtur, licet « integritatis suae conscio » innocentem se praedicare.

Item fere in fab. 11 « *Eunuchus ad Improbum* » (Hav. 55) ostendit, si quis *integritatis testes* producere non possit, illum non ideo esse utique damnandum. In ea Eunuchus accusanti Improbo cuidam damnum amissi corporis :

> En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,
> *Integritatis testes quia desunt mihi.*
> Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?
> *Id demum est homini turpe quod meruit pati.*

Hic vis tota carminis joco obsceno continetur, ambigue significantibus verbis « integritatis testes ». Phaeder quoque laborat

quod sibi testes desint, et ipsa fabellarum natura malevolis obnoxius factus sit, fortunae delicto, non suo.

Similiter denique Eutychum admonet fabella 13 « *Apes et Fuci Vespa judice* » (Hav. 57) de hominibus non ex specie sed ex moribus esse judicandum. Litigantes itaque inducit apes industrias cum inertibus fucis, prudenti vespa judice. Quae cum caveret ne falsa specie capta injustam diceret sententiam :

> Non inconveniens corpus et par est colos,
> In dubium plane res ut merito venerit.
>
> (v. 6-7.)

velletque bona et certa fide de causa statuere :

> ....ne *religio* peccet imprudens mea,
>
> (v. 8.)

*nosset*que *genus utrumque pulcherrime* (v. 4), litem ex utriusque moribus et natura sapienter resolvit :

> Alvos accipite et ceris opus infundite,
> Ut *ex sapore mellis* et *forma favi*,
> De quis nunc agitur auctor horum appareat
>
> (v. 9-11.)

Vespam imitetur Eutychus : Phaedrum et ejus inimicos ne ex crimine aut specie discat, verum ex moribus et vita : tunc profecto comperiet utri sint improbi, uter innocens. In hac fabella adeo manifestum est Phaedrum ad se ipsum et accusatores suos allusisse, ut in fine epilogi (Hav. 76) Eutychum aperte allocutus, iisdem fere verbis utatur :

> Decerne quod *rel[i]gio*, quod patitur *fides*.
>
> (v. 26.)
>
> *Qui sint requires;* apparebunt tempore.
>
> (v. 32.)

Addidit denique, ne quis de consilio suo erraret, sedulo se hanc composuisse fabulam ut perfidiam Fucorum et improbitatem et invidiam notaret :

> Hanc praeterissem fabulam silentio,
> *Si pactam fuci non recusassent fidem.*
>
> (v. 16-17.)

Alias conscripsit fabellas ut animum Eutychi etiam miseratione permoveret. Quo consilio compositam credo ego fabellam 7 « *Lupus ad Canem* » (Hav. 51), in qua materiam Aesopi brevissimam multis versibus docte explicuit; libertatem quam nunc fortasse amissurus est, jam videtur velut summum bonum desiderare :

Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

(v. 27.)

Ad idem spectat profecto fabella 9 « *Socrates ad amicos* » (Hav. 53) : amicis egens, ad amici auxilium rogandum, clamavit :

Utinam veris <domum meam> amicis impleam !

(v. 7.)

Sibi quoque et propter se fabellam 12 « *Pullus ad Margaritam* » (Hav. 56) edidit ; etenim improborum contumeliis inquinatus, similis est margaritae illi in sterquilino jacenti. De se profecto dixit :

Jaces *indigno quanta* res... loco !

(v. 3.)

His autem versibus

Hoc si quis *pretii cupidus* vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem pristinum

(v. 4-5.)

Eutychum haud dubie compellat, hortaturque virum acri et intellegenti judicio ut se, probata sua innocentia et meritis, salvum faciat. Addit etiam, ut manifeste consilium suum declaret :

*Hoc illis narro qui me non intellegunt*

(v. 8.)

significans nonnullis mentem suam parum esse notam.

Denique in fabella 20 « *Asinus et Galli* » (Hav. 78) libri paenultima, de sorte tua quam maeste queritur, simul praesentem calamitatem dolet, et in futurum, fato iniquo, spes gloriae prope dilapsas desiderat :

Qui *natus est infelix non vitam modo*
*Tristem decurrit*, verum *post obitum quoque*
*Persequitur illum dura fati miseria.*

(v. 1-3.)

Cum autem metuat ne Eutychus vim carminis plane non sentiat, praecipit ei, in fine libri (Hav. 79), ut « *diligenter intuealur has nenias* » (iisdem fere verbis in prologo eum ad legendas fabellas induxerat), laudique vertit ei suum ingenii acumen, orat etiam eum ut beneficium poetae promissum dare properet :

*Quantam* sub ti[tu]lis *utilitatem re[p]eries !*
Non semper ea sunt quae videntur d[i]spici ;
..... [decipit]
Frons prima multos ; *rara mens intellegit*
*Quod in[t]eriore condidit cura angulo.*
*Hoc ne loq[u]tus sine mercede existimer,*
Fabellam adiciam, etc.

Cum fabulis illis omnibus conferendos esse censeo epilogi locos (Hav. 76) quibus Eutycho Phaeder misericordiam concitare conatur :

Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est ; ..... .....
(v. 15-16.)

Stultum admovere tibi *preces* exis[timo],
(v. 20.)

*Proclivis ultro [q]um sit misericordia ;*
S[a]epe impetravit veniam confessus reus ;
Quanto *innocenti* justius debet dari.
(v. 21-23.)

At imprimis in narratiuncula 10 « *Poeta de credere et non credere* » (Hav. 54) orare causam suam constituit : quam et longius consulto duxit, et diligentissimo stilo exaravit ; singula denique in ea ita disposuit ut Eutychum alliceret, permoveret, raperet.

Si modo attentius fabellam intueberis et cum reliquo libro comparabis, vim carminis peculiarem senties, neque aliud quam poetae proprios affectus in eam translatos facillime comperies. Praecavet enim Phaeder ne Eutychus de se et accusatione sua temere judicet, neve veritatem satis exploret. Id ut efficiat, qua cura eum praemonet et rogat, ut in prologo libri, sic in prooemio fabellae (vv. 1-8), ut in epilogo, sic in orationis conclusione (vv. 51-58). Vere enim oratio dici potest haec fabella, summa arte et studio composita : in qua docet Eutychum cum in omni re tum etiam in praesenti tempore levius judicium esse vitandum.

Vult igitur Eutycho ostendere quanta mala consequi possint, si judex indiciis, quamvis certa videantur, statim credat; itaque primum bis eum admonendum curat:

*Periculosum est credere et non credere.*

(v. 1.)

. . . . . .

Ergo exploranda est veritas multum prius
Quam stulte pr[on]a judicet sententia.

(v. 5-6.)

tum, memorato prius exemplo vetere Hippolyti qui falsa accusatione periit, et Cassandrae neglectae, quo acrius animum legentis percutiat, non jam veterem fabulam, sed rem veram, immo *memoria factam sua* narrare incipit. (Cf. v. 8.)

In narratione singula ita elegit et composuit ut clare appareret primum, quamvis manifesta re, innocentia reae; tum accusantium improba consilia; denique eximia sapientia et humanitas ejus qui veritatem comperire potuit, innoxiam et miseram scelesto crimine liberavit.

Maritus quidam cum diligeret conjugem
Togamque puram jam pararet filio,
Seductus in secretum a liberto est suo,
*Sperante heredem suffic[i] se proximum.*
Qui [q]um de puero *multa mentitus* foret
Et *plura de flagitiis castae* mulieris,
Adjecit id quod sentiebat maxime
Dolitarum amanti, ventitare adulterum
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incensus ille *falso* uxoris *crimine*
Simulavit iter ad villam clamque in oppido
Subsedit; deinde noctu subito januam
Intravit, recta cubiculum in[t]eri[u]s petens,
In quo dormire mater natum jusserat
*[A]etatem adultam servans diligentius.*
Dum qu[a]erunt lumen, dum concursant familia,
Irae furentis impetum non sustinens
Ad lectum vadit, temtat in tenebris caput.
Ut sentit tonsum, gladio pectus trans[i]git,
Nihil in[t]r[o]spiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna adlata simul adspexit filium
*Sanctamque uxorem* dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil somno senserat,
Repraesentavit in se poenam facinoris
Et ferro incubuit quod *credulitas strinxerat.*

Hactenus ostendit Phaeder quam sit periculosum temere credere criminantibus ; nunc quomodo falsa crimina dijudicari et dispelli debeant :

Accusatores postularunt mulierem
Romamque pertraxerunt ad centumviros.
*Maligna insontem deprimit suspicio,*
*Quod bona possid[i]t.* Stant patroni fortiter
Causam tuentes innocentis feminae.
*A Divo Augusto* tunc petier[unt] judices
Ut adjuvaret jurisjurandi fidem,
Quod ipsos error implicuisset criminis.
*Qui postquam tenebras dispulit calumniae*
*Certumque fontem veritatis repperit :*
« Luat » inquit « poenas causa libertus mali ;
Namque *orbam nato simul et privatam viro*
*Miserandam potius quam damnandam existimo.*
Quodsi *delata perscrutatus crimina*
Paterfamilias *esset, si mendacium*
*Subtiliter* limasset, *a radicibus*
*Non evertisset scelere funesto domum.* »

Phaedrum quoque « maligna insontem deprimit suspicio », quod ea quae in libello de vitiis omnium communibus exposuit, nonnulli errantes ad se traxerunt, auctorem scripti ulcisci voluerunt. Optat igitur ut, quemadmodum adfuit Divus Augustus innocenti feminae, sic sibi Eutychus adsit innoxio ; Eutychum praemonet prius dispellendas esse « calumniae tenebras » ut « certum veritatis fontem reperiat » ; observanda non accusatorum crimina neque per se delictum, sed accusati honestam vitam, miseram condicionem. Quare Eutychus Phaedrum omni ope et teste privatum, miserandum potius quam damnandum existimet ; rem expediat non judex rigidus et immotus, sed vir humanus et misericors. Haud aliter in epilogo (Hav. 76.) :

Stultum admovere tibi preces exis[timo]
Proclivis ultro [q]um sit *misericordia.*

(v. 20-21.)

Ad narrationem versus non minus decem addit ; in quibus Eutychum horrenda re permotum etiam atque etiam rogat ut veritatem diligenter exploret, imprimis cogitet nihil non moliri improbos ad innocentes opprimendos, calumniae diffidat, accusantes et reum per se cognoscat :

Nil spernat auris, *nec tamen creda[s]statim,*
Quandoquidem *et illi peccant quos minime putes,*
*Et qui non peccant impugnantur fraudibus.*

(v. 51-53.)

. . . . . .

*Erit ille notus quem per te cognoveris.*

(v. 58.)

Item in epilogo de malevolis :

*Qui sint requires ; apparebunt tempore.*

(v. 32.)

Praeterea debuit Eutychus magno honori sibi habere quod Phaeder sibi Divi Augusti partes agendas tribuisset (cf. v. 39 sqq.) Quam autem poeta excusationem sui in ultimis versibus scripsit, quod longiorem fabellam traxerit, ea nullo modo credi potest, cum ubique brevitatem in narrando plurimi faciat. Hic si a consuetudine recessit, voluit profecto aliquid gravissimi momenti tractare, ex quo sperabat magnam utilitatem se sumpturum. Attende etiam quam similiter in epilogo se excuset quod longius causam suam apud Eutychum oraverit :

Excedit animus quem proposuit terminum ;
Sed difficulter continetur spiritus, etc.

(v. 28 sqq.)

Cum ergo singulae hujus fabellae partes cum epilogo, in quo auxilium ab Eutycho efflagitat, mire consentiant, eam sibi maxime scripsit Phaeder, in ea affectus proprios edidit, defensionem sui summo studio composuit.

Hactenus Divi Augusti, mox etiam ipsius Minervae exemplum imitandum Eutycho poeta proponit. Etenim, si ita se judicem gesserit ille ut crimina neglegat, accusato opem ferre velit, eum malevoli non religione sed gratia quadam egisse fortasse contendent, et librum sibi dedicatum auxilio suo remuneravisse. Qua re ne prohibeatur « vocis exhibere fidem », fabellam 17 « *Arbores in Deorum tutela* » (Hav. 61) Phaeder excogitavit : in qua monet eum potentibus in *tutelam* suam legendos esse homines *utiles, non steriles,* opinionem invidorum nullo loco habendam. Cum enim dii omnes, « honorem fructu ne viderentur vendere », steriles arbores in tutelam legerent, una Minerva, id est Sapientia ipsa, neglecto judicio aliorum, olivam *propter ipsum fructum* gratiorem habuit :

At mehercules *narra[b]it quod quis voluerit,*
Oliva nobis *propter fructum* est gratior.

(v. 8-9)

Quo prudenter et libere facto, valde a Jove collaudata est :

« O nata, *merito sapiens dicere omnibus.*
Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria. »

(v. 11-12.)

Hac fabella voluit suadere Eutycho Phaeder, ut, exemplo usus Minervae, innocenti propter ipsam utilitatem etiam magis faveret. Ita fere in epilogo (Hav. 76) :

*Tuae sunt partes; fuerunt aliorum* [*prius*],
Dein simili gyro venient aliorum vices[1].
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gra[viter] *me t*[*u*]*t*[*a*]*re* judicio tuo.

(v. 24-27.)

In ultima[2] denique fabella « *de Muribus et Mustela* » (Hav. 79), ut in fine epilogi, significat se posthac multo prudentiorem invidiae non jam latus praebiturum. Ut mus ille retorridus

Qui saepe laqueos et muscipula effugerat,
Procul..... insidias cernens hostis callidi :
« Sic valeas » inquit « ut farina es quae jaces! »

sic noster qui, olim, vivente Sejano, necem effugit, nunc postquam per Eutychum malorum insidiis elapsus erit, usu doctus, omne crimen et periculum curabit evitandum :

Ego quondam legi quam pue[r] sententiam
« Palam muttire plebeio piaculum est »,
Dum sanitas constabit pulchre memin[ero].

(Epil. Hav. 76, 33-35.)

Fabellae huic, quam profecto magni momenti duxit ad illud consequendum quod cupiebat, praeposuit Phaeder nonnulla quibus incitaret Eutychum ut sensum carminis reconditum diligenter requireret, postposuit ipsum epilogum, in quo repetens quaecumque in singulis fabulis passim tractaverat, admotis etiam precibus, omnibus viribus contendit ut animum ejus misericordem conficeret, benevolentiam captaret, auxilium in casu gravissimo impetraret.

1. Versus 24-25 hoc modo interpretandi : Noli curare malignorum opinionem; quod tu mox facies, fecerunt alii antea, alii postea facient.
2. Vide supra p. 17-19, et infra Append.

B

In eodem libro etsi maxime curabat Phaeder ut ab Eutycho adversus accusatores defendi posset, tamen, ut ex prologo videtur, propter ea non oblitus est alias doloris causas : quod multi fabellas suas minoris facerent, poetamque Aesopi aemulum (II, 10 — Hav. 42, 5 sqq.) immodica spe praesumere arbitrarentur. Ad illos alludit in his prologi versibus :

> Ego quem Pierio mater enixa est jugo,
> . . . . . .
> Quamvis *in ipsa natus* sim *P[h]aeb[i] schola*
> Curamqu[e] habendi penitus corde eraserim
> Et laude in vita[m] hanc [haut in]vit[a] incubuerim,
> *Fastidios*[e] tamen *in coetum recipior*.
>
> (v. 17-23.)
>
> . . . . . .
> . . . . . .
> Quem (librum) si leges laetabor; sin autem minus,
> Habebunt certe quo se oblectent *posteri*.
>
> (v. 31-32.)

Quasi non confidat praesenti tempore librum suum lectum iri ab aequalibus. Videtur enim liber secundus multis minus bene fuisse acceptus, nonnullique aegre tulisse quod ab Aesopo Phaeder discessisset, maxime quod genus ab illo inventum mutandum omnino et perficiendum suscepisset, gloriamque pro parvo neniarum libello eximiam (cf. Epil. II, 35) sibi vindicavisset. Quamobrem poeta jam ab illis exasperatus qui negotia ei afferebant, eis quoque qui ei laudem denegabant in aliquot fabellis vehementer respondet. Quibus adeo irascitur ut plerumque materiam apte eligendam nullo modo curet, verum fabellam ipsam minoris momenti habeat, vim totam in promythio aut in epimythio contineat. Itaque, si nudos logos perpenderis, eos nihil neque verborum sensu neque argumenti convenientia nonnunquam valere comperies.

Cujus generis erit fabula 2 « *Panthera et Pastores* » (Hav. 46) cum in illos scripta qui Phaedri ingenium contemnebant (ad quos pertinet sententia moralis :

> Solet a *despectis* par referri gratia),

tum etiam in illos quorum insolentiae olim sub Sejano obnoxius fuit. Quemadmodum enim panthera imprudens in foveam deciderat ubi a pastoribus aut saxis petita erat aut pane levata, mox, ubi fovea se liberavit, hos trucidavit, illis pepercit; ita Phaeder olim imprudens in calamitatem adductus, et contumeliis invidorum oppressus, aliorum misericordia levatus, nuper etiam despectus, nunc, Sejano mortuo, beneficii memor, injurias acceptas ulcisci parat :

Illis revertor hostis qui me laeserunt.

(v. 19.) [1]

Quae fabella, nisi illud significaret, nullo modo per se staret. Quid enim minus verisimile fingi potest quam pantheram fovea inclusam ubi neminem cernere quivit, post aliquot dies amicos ab inimicis discrevisse ? pantheram, qua fera nulla immanior est, in hos quidem saeviisse, illis consciam pepercisse? Hic igitur mores non servantur ; verum illud non multum laborabat poeta, dum a legentibus intellegeretur et telo petitos contingeret.

Voluerunt quidam in fabella 3 « *Aesopus et Rusticus* » (Hav. 47) notata esse vitia romana : ibi vero Aesopi acre judicium magis laudatur quam mordacia verba; namque ille

naris emunctae senex,
Natura nunquam verba cui potuit dare,

(v. 14-15.)

quam rem naturalem stulti harioli « variis dissidentes sententiis » (v. 12) insulse et false interpretabantur, eandem multo melius et verius enodavit. Voluit igitur poeta deridere stultitiam eorum qui de omni re graviter et sententiose dicunt, causam nullam proferunt. Per ineptos hariolos rectissime significavit obtrectatores fabellarum suarum temerarios; viros autem « usu peritos » et « emunctae naris » dicere potuit eos (quorum fuit Eutychus[1]) qui nihil temere judicant, eos praesertim qui Phaedri ingenium plurimi fecerant.

Nunc, Eutychi fretus auxilio, constituit jam non quiete, ut plebeius, contumelias inimicorum tolerare. Admonet eos fabella 5 « *Aesopus et petulans* » (Hav. 49), si Phaedro insultentur, exinde ipsum Eutychum impugnaturos, non impune :

Successus ad perniciem multos devocat.

1. Cf. Prol. 1 : Phaedri libellos legere si desideras, sqq.

Per Aesopum lapidibus petitum significari poetam a malevolis lacessitum; per petulantem illum, inimicos ejus audaciores; denique per virum « divitem et potentem » (v. 6), Eutychum Phaedro auxiliantem, quis non agnoscit?

Similiter in fabella 6 « *Musca et Mula* » (Hav. 50) eorum « frivolam insolentiam » deridet poeta vel qui fabellarum censuram agunt, quibus respondet :

« [S]atis ubi tricandum et ubi [sit] currendum scio »,
(v. 9.)

vel potius improborum qui malum ei minantur :

Hac derideri fabula merito potest
Qui *sine virtute vanas* exercet *minas*.
(v. 10-11.)

Quibus ille, Eutycho confisus :

*Verbis non moveor tuis;*
[Mag]ist[r]um timeo sella qui prima sedens... etc.
(v. 4-5.)

Si verum est homines illud plurimi aestimare quo maxime egent, debuit Phaeder tot inimicitiis obnoxius, amicitiae suave munus magnopere desiderare, neque sine justa causa clamavit in fabella 9 « *Socrates ad amicos* » (Hav. 53) : « Utinam veris [domum meam] amicis impleam! » Praeterea in eadem fabella id notandum est quod cum forte Socratis nomen memoravisset, non potuit illius nobilis viri omnibus probatam gloriam non appetere, atque, maxima totius vitae cura exserta, haec fabellae media imo pectore interposuit :

Cujus non fugio mortem, *si famam assequar*,
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis!
(v. 3-4)

Miserandum hominem! quo nemo unquam gloriae cupidior extitit! At cui Fortuna viventi toties invida fuit, eidem mortuo post multa secula tandem favit!

Phaedro nonnulli vitio vertebant quod brevioribus pro fabellis nimiam sibi gloriam vindicaret, alii etiam quod in eis leviora et, credo, parum inter se convenientia tractavisset (quod reapse

saepius ei accidit). Ad illos pertinent versus ultimi fabellae 10 « *Poeta de credere et non credere* » (Hav. 54):

> Haec exseq[u]tus sum propterea pluribus
> *Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.*

In hos scripsit fabellam 14 « *De lusu et severitate* » (Hav. 58) in qua Aesopum inducit « puerorum in turba » « nucibus ludentem » et calumniae victorem. Aesopi nomine se ipsum significavit « derisorem potius quam deridendum », quaestione autem de arcu retenso « Expedi quid fecerim » (v. 6) cujus non intellegit causam atticus ille, fabellas suas quarum vim pauci sentiebant; hoc denique Aesopi responso

> « Cito rumpes arcum semper si tensum habueris;
> At *si laxaris cum voles erit utilis* ».
>
> (v. 10-11.)

ostendit quo consilio minus gravia nonnunquam delegerit, jocandoque pueriliter luserit, dummodo utilitatem inde perciperet.

Eodem animo, eisdem fere verbis, in fabella 21 « *Poeta* » libri ultima (Hav. 79) haec conscripsit :

> *Joculare* tibi *vide*[*m*]*ur*, et sane *lev*[*i*],
> Dum nihil habemus ma[ii]us *cal*[*a*]*mo ludimus;*
> Sed diligenter intuere has nenias;
> Quantam sub ti[tu]lis *utilitatem* re[p]eries!
> .....
> ..... *rara mens intellegit*
> Quod in[t]eriore condidit cura angulo.
>
> (v. 1-7.)

Objiciebant alii Phaedro, ut in fabella 15 « *Canis ad Agnum* » (Hav. 59) quod ab Aesopo, qui ipsi fuerat exemplum et ut ita dicam pater, discessisset. Illis respondet poeta parentium « potestatem nullam in gignendo » esse (v. 15), neque eos scire utrum « feminas » an « masculos » creaturi sint (v. 12); quasi dicat se, etsi Aesopo primas olim fabellas debuerit, tamen eas propriis tantum virtutibus commendavisse, materiam saepius audacter mutavisse aut etiam meliorem excogitavisse :

> Obsistere homines [do]g[mati]s (?[1]), meritis capi.
>
> (v. 20.)

1. Legimus P — legibus $R^r$ ρ — dogmatis L. Havet — Conjicio ego « debitis », quae vox videtur mihi optime cum codicibus, melius cum reliqua fabella congruere.

In fabella 16 « *Cicada et Noctua* » (Hav. 60) rursus detrectatores suos admonere videtur, ut « conviciis » finem faciant (v. 3), neve diutius sua patientia abutantur, si nolint meritas insolentiae suae dare poenas.

Fabellam autem 18 « *Pavo ad Junonem de voce sua* » (Hav. 62) in invidos illos dicas esse scriptam qui, speciosis et inanibus donis natura praediti, gratia, honore, divitiis, « indigne ferebant » quod humilis et pauper poeta eximiis ingenii dotibus sibi praestaret :

> Illum esse cunctis..... ammirabilem,
> Se derideri simul ac vocem miseri(n)t.
>
> (v. 3-4.)

Facete quidem et improbe illa dicta sunt ; haec etiam ridicule « consolandi gratia » :

> Sed forma vincis, vincis magnitudine ;
> Nitor smaragdi collo pr[a]efulget tuo
> Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
> — Quo m[i]..... mutam speciem, si vincor sono ?

Fabellam 19 « *Aesopus respondet Garrulo* » (Hav. 63) Phaeder Aesopi, ut solet, usus nomine, in universam turbam inimicorum scripsit, in qua rem a se omnino mutatam retulit.

Diogeni enim otioso (non Aesopo) ferunt neminem eorum inter quos vivebat quos corporibus suis dediti essent, hominem esse visum ; hic vero Aesopus (id est Phaeder) occupatus molestis acrius respondet, eos abire in malam crucem semel jubet. Vulgarem et veram fabulam commutavit poeta, quo melius ad propositum suum conveniret.

In omnes igitur libri tertii fabellas, sive Eutychum sibi propitium efficere conatur, sive libellos suos defendit aut criminantes impugnat, proprios affectus Phaeder transtulit : librum totum praecipue voluit esse orationem « pro domo sua » docte compositam ad Eutychi captandam benevolentiam et auxilium, passim interpositis aliquot fabellis quae ad inimicos omnes pertinerent. Etsi saepius sensus in carmine reconditus legenti non statim patet, haud difficulter tamen mens et consilium poetae etiam nobis diligenter illud intuentibus occurrit. Eadem Eutychus multo facilius intellegere debuit, quem jam antea Phaeder, re aperte et coram exposita, ita benignum sibi fecerat ut ei ille beneficium polliceretur. Libellum scripsit poeta atque Eutycho dedicavit, primum quo « celerius » « munus » promissum acciperet, deinde

ut bonitatem ejus gratia quadam pensaret, denique ut naturae suae et cupiditati indulgeret, fabulisque novis simul invidentes sibi acerbius consectaretur et famam exoptatam compararet.

### *De libro quarto.*

Ut librum tertium dedicaverat Phaeder Eutycho, diviti et potenti viro, quem sibi adversus malevolos defensorem efficere conatus erat, ita librum quartum utilitatis suae causa, Particuloni dedicavit, viro litterarum studiosissimo et sanctissimo. Illum scripsit beneficii petitor, hunc beneficii memor et gratus. Particulonem enim in magno honore habebat non solum quod eruditus esset, sed maxime quia libellos suos magni faceret (Prol. v. 17-19). Eum neque divitem, neque potentem fuisse existimo. Namque si dives fuisset, ad fortunas ejus allusisset poeta aut saltem ei non illas fabellas dedicavisset in quibus divitias et divites invisos et abominandos habet. Eundem inter honoratos viros non fuisse verisimile est, quod scriptores mentionem ejus non fecerunt; at contra, ut ex epilogo videtur, sperabat Phaeder nomen ejus per fabellas posteris traditum iri :

> Particulo, [ch]artis nomen victurum meis
>
> (Hav. 96, 5.)

quod reapse evenit. Quodcumque fuit, jam aliquam gloriam adeptus erat Phaeder, Particuloni et multis aliis probatus :

> *Mihi parta laus est* quod tu, quod similes tui
> Vestras in chartas verba transfe[r]tis mea,
> *Digni[a ut] qu[a]e longa judic[e]tis memoria.*
>
> (Prol. v. 17-19.)

At simul novum periculum ei imminebat, cum multi etiam essent fabellarum acerbi censores, alii gloriae illius participes esse vellent Phaedroque aemularentur. Ipso enim fabellarum genere brevi, et, ut videbatur, faciliore, atque Phaedri exemplo impelli debuerunt juvenes ad intrandum Musarum limen, illis maxime temporibus cum magna cogitationis et ingenii incitamenta deessent ad longum opus suscipiendum et imitandum Virgilium aut Lucretium aut etiam Ovidium. Novi igitur aliquid quaerebatur, in quo nemo adeo inclaruisset ut a scribendo tirones deterreret. Neque mirandum est quod Seneca Polybio suasit ut logos aggrederetur

« intemptatum Romanis ingeniis genus », postea Martialis ab amico suo Rufo quaesivit num « Phaedri jocos aemularetur », quibus verbis significavit Romae primum Phaedrum scripsisse fabellas. Jam Phaedro vivente, post tertium librum editum, non ante[1], poetam nostrum quidam imitari conati sunt, adeo ut, « cum destinasset

> terminum operi [st]a[tu]ere,
> In hoc ut aliis esset materiae satis,
>
> (Prol. 1-2.)

consilio damnato », rursus surgeret iratus, mordicus contendere paratus ne quis alius partae sibi gloriae particeps esset. Quam tantis laboribus adeptam voluit tutam praestare et ab Aesopi obstinatis fautoribus, et ab aemulis suis, tum etiam a malignis obtrectatoribus fabellarum (prol. v. 15) et poetae.

Qui olim timidius professus est se Aesopi materiam versibus polivisse (cf. Prol. I), postea lectorem modeste rogavit ut liceret sibi Aesopi fabellis proprii aliquid interponere (prol. II), Aesopo se non invidere sed aemulari, ne ille solus esset (epil. II), deinde audacius dixit illius semitam se fecisse viam (prol. III), nunc ab Aesopo minus grate, ut videtur, deficit et ferociter contendit nihil se cuiquam debere, sua tantum virtute fabellas suas commendavisse :

> « Quas <inquit> Aesopias, non Aesopi, nomino,
> Qu[ia] paucas ille ostendit, ego plur[i]s [f]ero,
> Usu[s] vetusto genere, sed *rebus novis*. »

Hoc primum : pauca se ab Aesopo sumpsisse, plura excogitavisse. Mox in fabella 19 « *Phaedrus* » (Hav. 71) illa etiam, quae ab illo mutuatus sit, meliora a se facta asseverat :

> Invenit ille, *nostra perfecit* manus.
>
> (v. 8.)

1. Cf. Epil. III, Hav. 76 :

> Supersunt mihi qu[a]e scribam, sed parco sciens ;
> .....
> .....*si quis eadem forte conar*[i] *velit*,
> Habere ut possit aliquid operis residui ;
> Quamvis [m]at[e]r[ia]e tanta abundet copia,
> *Labori faber ut desit*, non fabro labor. [v. 1-6.]

Quibus autem artibus Aesopi materiam « perfecerit », nonnullis rebus passim additis aut omissis, mutato etiam argumento et dramatis personis, ita ut mordaci naturae suae indulgeret, supra vidimus (pp. 29 sqq).

Ait etiam fabellas in quas Aesopum loquentem induxit a se esse fictas, et hac mente Aesopi nomen se usurpavisse quo plus auctoritatis fabellis faceret :

Aesopi nomen sicubi interposuero
Cui red[di]di jam pridem quicquid debui,
*Auctoritatis* esse scito gratia ;
Ut quidam artifices nostro faciunt s[a]eculo,
Qui *pretium operibus majus inveniunt nov*[*is*],
Si marmori adscripserunt Praxitelen s[cabr]o,
Trito Myronem argento, [t]abul[a]e [Zeuxidem],
Adeo *fucatae* plus *vetustati* favet
Invidia mordax quam *bonis praesentibus.*

IV 24 (Hav. 97)[1]

Invidis respondet acerbius in fabella 19 « *Phaedrus* » (Hav. 71), atque illis qui id tantum in fabellis laudabant quod Aesopi esse videbatur :

Quid judicare cogit[as], li[v]or, modo[2] ?
— Licet dissim[u]let, pulchr[e] tamen intellego.
Quicquid putabit esse dignum memoria,
Aesopi dicet ; siquid minus adriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli jam nunc[2] responso meo :
Sive hoc ineptum sive laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.

Eosdem duabus fabellis facete et jocose deridet. In priore (25 *Demetrius rex et Menander poeta.* Hav. 98) ostendit errare saepe et ad judicium suum mutandum cogi eos qui temere sententiam proferunt. Demetrius rex, cum Athenis in turba salutantium quendam vidisset « gressu delicato et languido » venientem : « Quisnam ille cinaedus ? » inquit. At ubi audivit eum esse nobilem poetam Menandrum ; mutatus statim :

« Homo » inquit « fieri non potest formosior »

1. Vide supra p. 22, et infra Appendicem.

2. Eam fabellam si cum fab. 24 (Hav. 97) contuleris, imprimis has voces « *modo* » « *jam nunc* » cum vocibus « *jam pridem* », non poteris non animadvertere sensu quam conjuncti sint illi duo loci, et eidem libro tribui debeant. Hic enim (Hav. 71) respondet « *jam nunc* » Phaeder invidis breviter, significatque mox (id est in eodem libro) se illis longiora responsurum ; quod responsum habent fabb. 24-25 (Hav. 97-98) et fab. 29 (Hav. 95).

Idem saepius accidere debuit Aesopi fautoribus, qui, si quid eis minus placuerat in fabellis, illud Phaedro tribuere non dubitabant; eos monet poeta ut caveant ne, comperto errore, turpiter cogantur pravitatem suam fateri[1].

In altera 29 « *Scurra et Rusticus* » (Hav. 95) eosdem multo acrius petit :

> Pr[on]o favore labi mortales solent,
> Et pr[ae]judicio dum stant erroris sui,
> Ad paenitendum rebus manifestis agi.
>
> (1-3.)

Ea fabella et lepide narratur et nescio quam vim comicam habet : Imitatur Scurra porcelli vocem cum magno plausu et admiratione spectantium; Rusticus autem cum vero porcello vocem naturae expressisset,

> Succlamat populus scurram multo similius
> Imitatum. . . . . .
> At ille profert ipsum porcellum e sinu,
> Turpemque aperto pignore errorem probans :
> « *En hic declarat quales sitis judices!* »
>
> (34-38.)

Ita Phaeder, dato per rusticum et porcellum documento, lectores malevolos ingeniose in ludibrium vertit. Neque sine justa causa,

1. Aliter eam fabellam interpretatur L. Havet, non recte. Addit enim sine ulla causa versui praeposito negationem « haut »

> Sed jam ad fabellam [haut] talis exempli feror 97, 10.

quo melius(?) duas fabellas sensu cohaereant; tum : « hoc, inquit, sibi vult Phaeder, *bonis praesentibus favisse olim Demetrium*, contra ac nunc Romae fiat ab invidis. »

At hic Demetrius non laudatur, sed deridetur. Non imitandum proposuit poeta hominem « improbum » (v. 2), « tyrannum » (v. 11), regem crudelem (v. 5-8); sed induxit eum prono favore primum male de Menandro judicantem, deinde, ubi nomen viri audivit, judicium suum « statim mutantem ». Voluit igitur Phaeder hoc exemplo ostendere quantum apud homines nomen alicujus in judicando valeat. Sic explicata, haec fabella cum versibus Hav. 97, 1-7 aptissime cohaeret, non vero cum vv. 8-9, quos poeta fabella interpositos addidit (cf. Hav. 53, vv. 3-4) : in sequenti enim argumento nulla jam fit mentio neque « mordacis invidiae », neque « vetustatis fucatae », neque « bonorum praesentium ».

Phaeder igitur Aesopum adscripsit libro suo, auctoritatis gratia, sperans ita fabellas a legentibus bene acceptum iri, cum soleant homines « *nomine* » non « *re* » aliquid aestimare; cujus rei exemplum tradidit duplex Demetrii judicium. Agitur hic etiam de « *prono favore mortalium* »; atque ob eam causam haec fabella libri quarti profecto est, eadem mente scripta quam fabellae Hav. 71 et 95. Videtur haec dicere Phaeder : Quam multi, dum fabellarum mearum aliquam obtrectant, si audiant eam ipsam esse Aesopi, mutato statim judicio, pulcherrimam atque omnino laudandam eandem praedicent. En, obtrectatores mei quales sunt!

opinor, hanc fabellam libri ultimam fecit. Num melius significare potuit quanto despicatui tales judices haberet, quamque « inlitteratum plausum non desideraret »?

Aemulos etiam mordacius deridet. Ait enim in prologo « certa ratione » se novum librum scripsisse, quod sibi quidam aemulari vellent, ipse vero se aequari non posse pro certo haberet :

> Nam si quis talis etiam [s]t[ud]i[i] *est* [particeps],
> *Quo pacto d[ivi]nabit quidnam omiserim?*
> [An a]l[ii id] ipsum cupia[n]t famae tradere,
> Sua cuique [q]um sit *animi co[nc]itatio*
> *C[a]lorque pri[v]o[s]?*
>
> Hav. 77, 4-8.

Mavult itaque novas suscipere inimicitias quam alium sibi parem haberi.

> Hunc < librum > obtrectare si volet malignitas,
> *Imitari dum non possit, obtrectet licet.*
>
> (v. 15-16.)

Aemulos fabella 6 « *Serpens ad Fabrum ferrarium* » (Hav. 85) a scribendis fabulis deterrere conatur ; si vero perseverent, et nequicquam et cum magno suo periculo id facturos monet.

> *Mordaciorem* qui *improbo* dente adpetit
> Hoc argumento se describi sentiat.
> . . . . . .
> . . . . . .
> « Quid me..., stulta, dente captas l[a]edere,
> *Omne adsuevi ferrum quae conrodere?* »

Iisdem fabella 7 « *Vulpis et Caper* » (Hav. 86) minatur se nihil non moliturum ut eis detrimentum afferat :

> Homo in peric[l]um simul ac venit callidus,
> Re[p]erire effugium quaerit *alterius malo.*

Caveant igitur ne Phaedro volentes aemulari, Phaedro honorem, damnum sibi ferant.

Scripsit etiam ad illos deridendos fabellam 21 « *Mons parturiens* » (Hav. 73).

Mons parturibat, gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima expectatio.
At ille murem peperit. *Hoc scriptum est tibi,*
Qui, magna cum *minaris*, extricas nihil.

Vocem « minaris » consulto usurpavit; minantes enim sibi duxit quicumque aemulari conarentur.

In eos quoque scriptam crediderim fabellam 22 « *Formica et Musca* (Hav. 74), etsi in ea aliud etiam genus inimicorum deridetur, de quibus paulo infra nobis disserendum erit (v. p. 75). Primum enim ad homines inter se aemulantes pertinent versus :

Formica et Musca *contendebant acriter*
*Quae pluris esset.*

Deinde aemulis parum felicibus recte respondere potuit Phaeder :

Est gloriosus sane *convictus deum,*
*Sed illi qui invitatur, non qui invisus est,*
. . . . . .
. . . . . .
Aestate me lacessis; [q]um bruma[s]t siles.

Eos ita monet ne Musarum intrare limen, reluctante Minerva, aggrediantur, neve, si quibus placeant, levi et non mansura aura glorientur : eis operam nequicquam perituram, sibi nomen fore immortale.

At illos maxime odio prosequitur qui ex ipsius fabellis aliquid impudenter excerpserant ut suum, aut minus docte scripta melius se tractaturos speraverant : istos quo nomine appellet non habet, quavis esse dignos poena clamat; istos non semel, sed etiam atque etiam ipse acerbissime consectatur et in eos omnium odium concitat.

Fabellam 9 « *Fur et Lucerna* » (Hav. 88) neque verisimili ratione excogitatam esse neque satis significanter scriptam ipse auctor fatetur; verum nihil melius reperire potuit ut plagiarios infamaret. Ibi scriptorum furtum « sacrilegium » dicitur, et a « Sancta Religione » damnatur. Fures etsi Phaedro minoris pretii fabellas eripuerunt, tamen digni sunt qui extremis poenis culpam luant; optat etiam Phaeder ut illius rei eos brevi paeniteat :

Lucernam fur accendit ex ara Jovis
*Ipsumque compilavit ad lumen suum.*

Qui *sacrilegio onustus* [q]um discederet,
Repente vocem sanct[a] misit Religio :
« Malorum quamvis ista fuerint munera,
Mihique [us]que invisa, *ut non offendar surripi,*
Tamen, *sceleste, spiritu culpam lues*
Olim cum adscriptus venerit poena[e] dies.
Sed ne ignis noster facinori praeluceat,
Per quem verendos excolit pietas deos,
*Veto esse tale* luminis *commercium.* »

(1-11.)

His ultimis verbis indicat furtum suum plagiariis nihil profuturum; id non passuros deos; non timere se ne ab aliis superetur.

Nunc ut a legentibus intellegatur, ad fabellam alioqui brevem longum hoc documentum addit, singula explicat :

Quo[t] res contineat hoc argumentum utiles
Non explicabit alius quam qui repperit.
Significat prim[um] saepe *quos alueris*
*Tibi inveniri maxime contrarios;*
Secundum ostendit scelera non ira deum,
*Fatorum dicto* sed *puniri tempore;*
Novissime interdicit *ne cum malefico*
Usum *bonus* conso[c]iet *ullius rei.*

(v. 14-21.)

Monet scriptori neminem magis nocere quam plagiarios, at istos, si non ira deum, certe aliquando punitum iri ; ineptis furibus ne bonarum quidem fabellarum furtum usui fore : posse enim ab alio mutuari verba, animum et calorem non posse. (cf. Prol.) Haec omnia fabella vere contineri nemo nostrum, fateor, quamvis callidus, divinavisset, nisi ab ipso Phaedro docti essemus. Recte ille :

Non explicabit alius quam qui repperit.

Nobis, re manifeste explicata, duplex praeterea documentum percipiendum erit : primum poetam ubique in fabellas, etiamsi minime dicas, proprios affectus transtulisse; deinde non semper in tota fabella sed saepius in uno aut pluribus verbis, maxime in epimythio celari sensum reconditum et consilium scribentis.

Ad eosdem spectare fabulam 13 de Prometheo « *Idem* » (Hav. 65) ego existimo : per « tribadas et molles mares » alterius generis membris instructos, quod natura non recipit, per faeda ista et odiosa portenta quae « *nunc pravo fruuntur gaudio* » denotari eos qui scriptis suis alterius bona turpiter applicant.

Phaeder igitur, cum obstare non possit quin sua sibi subripiantur, spoliari se patienter sustinet, satisque habet aemulos et fures deridere. Quid enim? Quod barbam Capellis, ut Hircis, tribuit Jupiter, num ideo permisit ut feminae marium dignitatem aequarent? (f. 14— Hav. 66). Permisit etiam Deus maleficis ut bonorum poetarum thesaurum diriperent. At, consolandi gratia :

« Sinite » inquit « ill(o)s gloria vana frui,
Et *usurpare vestri ornatum muneris.*
*Pares dum non sint vestr*[*um*] *fortitudine.* »

Haec animo cogitans Phaeder, meriti sui conscius, sustinet sibi

Habitu esse similes qui s(u)nt virtute impares[1].

At homo iracundus et mordax ad mores suos cito redit. Mox enim in odiosum genus obscenam et, ut solet, acerbissimam fabellam scribit (Hav. 68), quam et longius ducit et velut acuta cuspide jaculatum telum in inimicos immittit. Significat quosdam vi fatali naturae, ob infanda facinora, impelli ad alios imitandos. Quemadmodum enim inter canes

Novum [ut] venire [q]u[is] videt, culum olfacit,

sic novos poetas alieni boni cupidi imitatores turpiter prosequuntur!

In fabella 17 « *Serpens misericordi nociva* » (Hav. 69) saevit Phaeder in improbos istos qui, ut illa serpens, nocent eis a quibus

1. Putat L. Havet, propter verba « vestri ornatum muneris », dum vult Phaedrum ubique ad res publicas alludere, hanc fabulam « de Romanis qui ornamenta consularia aut praetoria accepissent esse scriptam ». — At arguit epimythium

Hoc argumentum monet ut sustineas *tibi*
Habitu esse similes qui sint virtute impares

fabellam aut Particuloni (aut Eutycho, si eam libro tertio tribuas) (cf. H. 79, 1), aut sibi (cf. H. 88, 17) Phaedrum finxisse. Si Eutycho aut Particuloni scripsit documentum, unde fit ut neutrius « ornatum » et « munus » aut « habitu similes » usquam commemoraverit?

Quanto facilius et rectius tota fabella explicari potest, si ad Phaedrum ejus utilitas spectat! Qui jam antea (H. 65, 13) per feminas designavisse videtur plagiarios suos, dixitque in prologo (H. 77, 16) hoc unum se timere ne quis fabellas suas imitari posset, denique in aliis ejusdem libri fabellis compilatores suos deridendos et exsecrandos manifeste curavit! Praeterea « ornatum muneris » nonne vere nominare potuit dignitatem et gloriam poetae, qui « doctum » suum « laborem » plurimi fecit (Hav. 44, 26), litterasque et ab hominibus (H. 72) et a diis (H. 75) maxime honorari declaravit?

beneficium ac vitam acceperunt; quoque apertius ostendat malignitatem eorum consciam, vult documentum ab ipsa serpente dari :

« Ne quis discat prodesse improbis. »

Novissime in fabella 27 « *Calvus et Musca* » (Hav. 93) propter hanc ipsam mali conscientiam voluit illos extremas dare poenas. Ut Calvus Muscam, sic poeta plagiarios iratus alloquitur :

« ... Te, contemti generis animal[e] improbum,
*Quae delectaris bibere humanum sanguinem,*
Optem necare vel majore incommodo. »

(v. 8-10.)

Ut consilium suum manifestum faceret, haec addidit :

Hoc argumento [ei m]odo [de]cet veniam dari
Qui casu peccat; qu[in] *qui consilio est nocens,*
*Illum esse qu[a]vis dignum poena judico.*

Ceterae fabellae cum in obtrectatores libri (*a*), tum in ipsius Phaedri contemptores (*b*) scriptae sunt.

*a*) Jam in fabella 1 « *De Vulpe et Uva* » (Hav. 80) invidos deridet et silere jubet qui fabellarum laudem elevabant. Ad quos aperte :

*Qui facere quae non possunt verbis elevant*
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

Quid ! exclamabant alii censores, quod scripsit Phaeder aliquot fabellas, ideo virum se esse summi ingenii existimat ! Qui alios improbavit, num ideo illi plus virtutis inest quam ceteris omnibus? — Respondet illis poeta fabella 3, in qua, Aesopi, ut solet, usurpato nomine, ostendit

Plus esse in uno saepe quam in turba boni.

(Hav. 83.)

Quo magis Romanis ingeniis placeret, quaestionem, ut supra (III 14, Hav. 58) propositam finxit, ab Aesopo, succumbentibus omnibus, facillime expeditam; rem narravit quae tricis forensibus assuetos magnopere delectaret. Narrationi praeterea haec inter-

posuit ad illos, ut mihi quidem videtur, pertinentia qui fabellas non satis intellecturi essent :

> O si maneret condito sensus.....,
> Quam graviter ferret quod voluntatem suam
> Interpretari non potuissent Attici !
>
> (v. 30-33.)

Alii ipsum « jocorum genus » legere fastidiebant, ut vilius, et « insulsum » et « minus verisimile ». Facete igitur et ridicule Phaeder, in fabella 5 « *Phaedrus* » (Hav. 84), eorum sententia simulate comprobata, grandiora aggressus « e[n] in cothurnis prodit no[v]is ». Turgidis verbis ab Euripide Medeam primam fabulam convertit. At illi : « Hoc quoque insulsum est, falsoque dictum » (v. 17). Tum poeta :

> « Quid ergo possum facere tibi, lect[o]r [C]ato,
> Si nec fabella[e] te ju[v]ant nec f[a]bulae ? »
>
> (v. 21-22.)

Monet eos ambigue, minanti similis, caveant ne, si non patienter fabellas sustineant, molestae rursus fabellae sibi fiant :

> « Noli molestus esse omnino litteris,
> *Majorem exhibeant ne tibi molestiam.* »
>
> (v. 23-24.)

Stultitiam denique eorum notat, quibus ne perfectissimum quidem (ut Phaedri) opus satis placere potest :

> Hoc *illis* dictum[st] qui stultiti[a] nausiant,
> Et ut putenter sapere *caelum vituperant !*
>
> (v. 25-26.)

Censores postremo admonet fabella 8 « *De vitiis hominum* » (Hav. 87) ut, antequam alterius delicta corripiant, sua ipsorum vitia intueantur :

> videre nostra mala non possumus ;
> Alii simul delinquunt censores sumus.
>
> (v. 4-5.)

*b*) Temporibus illis quibus lucro omnes immodice studebant, et homines divitiis maxime, non virtute aut scientia, commenda-

bantur, aliud obstabat ne Phaeder famam egregiam consequeretur neve spectatus esset, quod ipse dives non erat atque divitias minimi faciebat. Quidam, ut Seneca et Plinius, propter fortunas et locum, jam ante quam aliquid scripserunt nobiles et probati fuerunt. Quintilianus etiam (cf. Juven. Sat. VII vv. 187 sqq) magno salario donabatur, et professor publicus auctoritate valuit. Phaeder vero pauper et obscurus mansit, etsi Sejanum inimicum habuit, Eutychi auxilio levatus est. Humilis hominis opera diu ignoraverunt nobiles illi, praesertim dives Seneca philosophiae deditus qui in aula principum versari solitus est. Inter eos autem quibus notus fuit Phaeder, fuerunt qui indignarentur ab eo gloriam appeti qui divitiis scientiam antéponendam esse censeret. Pars major eorum quibuscum vivebat ex negotiatoribus constabat. credo, aut mercatoribus, aut procuratorum scribis et ministris, aut libertis, aut aliis, qui divitias plurimi aestimabant, cetera nihili. Illi omnes Phaedrum irridebant ejusque vicem dissimulanter dolebant, qui laboris et miseriae praesentis futurum praemium a posteris exspectaret.

Respondet illis Phaeder primum (fabb. 4, 18, 28) non optandos esse honores neque divitias; secundum (fabb. 10, 22, 28) divitias et virtutem esse contraria; novissime (fabb. 20, 23) scientiam unicas et veras esse divitias.

Hominibus honores esse saepe periculo, humilem condicionem saluti admonet fabella 4 « *Pugna Murium et Mustelarum* (Hav. 83).

> Quemcunque populum tristis eventus premit,
> Periclitatur magnitudo principum,
> Minuta pleb[e]s facili praesidio latet.
>
> (v. 11-13.)

Divites esse avaros docet nos fabella 18 (Hav. 70), avaris autem « magnas opes exaggerare quaerentibus omni vigilia » nihil miserius : Quibus Phaeder, ut Draconi Vulpis :

> « Quem fructus capis
> Hoc ex labore, quodve tantum est praemium,
> Ut careas somno et aevum in tenebris exigas?
>
> (v. 8-10.)
>
> .....
> Nolo irascaris libere si dixero :
> *Dis est iratis natus* qui est similis tui. »
>
> (v. 14-15.)

Ne illud quidem satis habet; sed avaros et sibi noxios, et aliis inimicos, diis etiam perjuros, atque omnino odiosos et scelestos describit his additis versibus :

Abiturus illuc quo priores abierunt,
Quid mente caeca *miserum torques spiritum*?
Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
*Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo,*
*Qui tristis audis musicum cithar*[*a*]*e sonum,*
Quem tibiarum macerat j[u]cunditas,
Obsoniorum pr[e]tia cui gemitum exprimunt,
Qui dum quadrantes agger[i]s patrimonio
*Caelum fatigas sordido perjurio,*
Qui circumcidis omnem impensam funeri
*Libitina ne qu*[*o*]*d de tuo faciat lucrum.*

(v. 16-25.)

Odit itaque Phaeder divitias quae homines tot et tantis malis obnoxios faciant; quae causa est cur lucrum semper vitaverit (cf. fab. 28 : *Asini et Porcelli.* — Hav. 94) :

Periculosum semper vitavi lucrum.

(v. 8.)

Jam vero divitias obstare verae laudi et virtuti docemur fabella 10 « *Malas esse divitias* » (Hav. 89) :

*Opes invisae merito sunt forti viro,*
*Quia dives arca veram laudem intercipit*

(v. 1-2;)

divites malis esse amicos, bonis noxios ; quemadmodum de Pluto Hercules, sic Phaeder de eo qui divitiis tantum et lucro studet :

« Odi » inquit « illum, quia *malis amicus est,*
Simulque *objecto cuncta corrumpit lucro.* »

(v. 7-8.)

Denique divites esse scelestos, fures, atque ira Deorum puniri monet epimythium fabellae 28 alterum (Hav. 94). Addit enim Phaeder, quod quidem ex fabella minime consequitur, sed poetae proprios affectus declarat :

Sed dicis : qui *rapuere* divitias, habent[1].

(v. 9.)

1. Habent Pρ; havent post Stowasser L. Havet. « Habent » melius, me judice; significat enim tota sententia : « divitias rapuerint, at certe possident, et eis fruuntur, ideoque felices dici possunt. »

Quo improbe dicto significat divitias malis artibus comparari solere; docet etiam non immerito divitum majorem partem puniri :

Numeremus agedum qui *depr*[*e*]*nsi* perlerunt :
*Majorem turbam punitorum* re[p]eries.
Paucis temeritas est bono, multis malo.
(v. 10-12.)

Quid? audent isti conferre se corpori deditos, cum Phaedro Musas colente! inutilem et improbam vitam suam cum honestis occupati poetae moribus! (cf. fab. 22 « *Formica et Musca* » Hav. 74). Jactent isti principum conversationes (v. 4), epulas et ventris voluptates (v. 5), licentiam vivendi (v. 6), amores infandos (v. 7), otium denique et omnium rerum satietatem (v. 8); Phaedrum, ut rusticum, contemnant, licet. Quin memorant etiam offensas et contumelias (v. 10-12)? Immo studia moresque impuros tegere debent (v. 14)! Istos, post inertem et scelestam vitam, quid manebit? Phaeder vero, docto labore dum quotidie mentem exercet, perennem sibi famam comparat, nomen suum praestat immortale.

« Nihil laboras? Ideo, [q]um opus est, nihil habes.
*Ego granum in hiemem cum studiose congero,*
Te circa murum pasci video *stercore;*
*Mori* contractam cum te cogunt frigora,
*Me copiosa recipit incolumem domus.*
*Aestate me lacessis; [q]um bruma*[*st*] *siles.*
Satis profecto rettudi superbiam. »
(15-21.)

Sententiam suam ut legentibus plane declararet, explicationem trium versuum addendam curavit :

Fabella talis hominum discernit notas,
Eorum qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus ex[h]ibet solidum decus.
(v. 23-25.)

Divitiis istis ut alias divitias opponeret poeta sibi proposuit, alia studia, quae illi fastidiebant, ipse omnium esse optima contendit. Ad quod probandum duas fabellas scripsit de Simonide, remque non fictam sed veram et omnibus notam retulit.

In priore (fab. 20 « *De Simonide* » Hav. 72) ostendit « *hominem doctum in se semper divitias habere.* » Narrat igitur naufragum Simonidem cum aliis enatavisse; hos, opibus deperditis, in summam miseriam esse redactos; illum, propter litterarum studium

et famam, ab admiratore cupidissime receptum, omnibus rebus exornatum. Quae naufragis Simonides dixerat, eadem Phaeder divitibus sperat olim se responsurum :

« Dixi..... mea
Mecum esse cuncta; *vos quod rapuistis*[1] *perit.* »
(v. 26-27.)

Ea verba quidam, ut parum humana et benigna, valde vituperaverunt, minime intellegentes poetam nihil curavisse ut humanitatem legentes doceret, verum hoc unum, ut divitum et invidorum hominum arrogantiam retunderet.

Mox, « exsecutus coepti *propositum ordinem* » (v. fab. 19 — Hav. 71, 9), in altera fabella (23 « *Poeta* », Hav. 75) arguit poetis non homines solum favere, sed etiam Deos :

Quantum valerent inter homines litterae
Dixi superius; quantus nunc illis honos
A superis sit tributus tradam memoriae.
(v. 1-3.)

Quemadmodum Simonidem Dii, ruente tota domo, servaverunt, sic per eosdem sperat Phaeder fabellas suas olim, omnibus rebus tempore ruentibus, fore salvas.

Amicos contra et admiratores poetae, ut Particulonem et ejus similes, paenitendum non erit quod Phaedri ingenio faverunt, eum a vili turba imitatorum secreverunt; per quem et ipsorum nomen immortalitati tradetur :

Particulo, [ch]artis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris.
(Epil. vv. 5-6.)

Quartum librum in universum intuenti apparebit haud dubie Phaedro occurrisse tandem aliquot veros admiratores, eumque gloriam aliquam consecutum esse. Quare nunc vultu superbo et sereno prodit, neque jam de « duri fati miseria » queritur; sed, cum ipse sit felicior, patienter sustinet in vita « misceri dolorem et gaudium. » (v. fab. 15 « *De fortunis hominum* » Hav. 67) :

Parce gaudere oportet et sensim queri,
Totam qu[is] vitam miscet dolor et gaudium.

1. « Rapuistis » ambigue dictum (v. infra p. 85).

Particulonis et aliorum aequum et sapiens judicium collaudat, a quibus pro merito suo aestimatus est. Palam sibi soli laudem fabellarum asserit, quam vult neque cum Aesopo neque cum imitatoribus suis partiri; obtrectatores invidos et imbecilles acriter impugnat; ferociter humilitatem suam, paupertatem, abstinentiam, libertatem (cf. fab. 2 *Equus et Aper* (Hav. 81) : « Iracundos admonebit fabula Impune po[t]ius laedi quam dedi alteri »), doctum et utilem laborem opponit contemptorum suorum opibus, divitiis, avaritiae, abjecto animo, improbae et inani vitae. Ipse autem nonnisi sinceras amicitias recipit; neque ab illis decipitur qui olim procul a misero fugerunt, nunc prospero devotos se jactant. Eos deridet fabella 26 « *Duo Milites et Latro* » (Hav. 81), monetque his versibus :

« [Fors] possis alios ignorantes fallere :
Ego qui sum expertus quantis fugias viribus,
Scio quam virtuti non sit credendum tuae. »
(v. 11-13.)

*Illi* adsignari debet haec narratio
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.
(v. 14-15.)

At imprimis laudis eum cura sollicitat : indignatur nonnullos ita esse audaces ut sibi aemulentur; fabellarum suarum direptores furenti odio consectatur et infamat, fures impios, naturae dedecus, canes obcenos habet. Illi causam scribendi poetae dederunt (cf. prologum); illi etiam in epilogo (Hav. 96) poetae iram movent et odium implacabile; illos, ni longiore libello legentes offensurus esset, quot et quantis contumeliis etiam oneraret!

Adhuc supersunt multa quae possim loqui,
.....
Sed temperat[a]e suaves sunt argutiae,
Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
..... .....
Si non ingenium, certe *brevitatem adprob[a]*,
*Quae commendari tanto debet justius*
*Quanto poetae sunt molesti validius*[1].

1. Cf. IV, 5. Hav. 84, 23-24.

## *De libro Quinto.*

Phaeder librum quintum jam senex (cf. fab. 5) scripsit Phileto cuidam alioqui minime noto dedicatum. Hunc qua mente composuerit, e quinque quae exstant fabellis satis comperiri potest. Quarum una longius ducta est, ceterae brevissimae sunt. Mirum quidem, cum senectus, ut aiunt, natura sit loquacior. An poetam vis ingenii deficiebat? Illud etsi ipse contendit (in fab. 5), tamen ne opinemur obstat fabella 2 « *Procax Tibicen* » (Hav. 100) tanta alacritate et impetu narrata quanto quae maxime; at minus acerbe : in ultimo enim versu quanquam vis comica non minor inest quam in fabella IV 29 « *Scurra et Rusticus* », hilaritas non jam insolens sed magis serena continetur.

Quae serenitas quinque fabellarum communis est. Sunt adhuc qui Phaedro invideant ; at ille firmiorem esse gloriam suam existimat quam ut velit eos acrius aggredi. Eum amici sui incitabant ut aemulos pristina vehementia impugnaret (cf. fab. 5, 9 : « Quod fuimus laudas, [si] jam damnas quod sumus »), objurgabantque quod olim « adversus omnes fortis et velox », nunc « cariosis dentibus praedam dimitteret ». Poeta contra, aequo et grato animo :

> « Non te destituit animus, sed vires meae. »
>
> (Hav. 103, 8.)

Vires ! quis credat? Sed, quod multo verisimilius est, quosdam sibi aemulari et invidere haud aegre nunc patiebatur, qui sibi jam nulli damno esse possent. Illi censura eorum non jam iram movet ; insolentiam quattuor versibus frangere satis habet (fab. 4 « *Taurus et Vitulus* » Hav. 102) :

> « Tace » inquit ; « ante hoc novi quam [tu] natus es. »
> Qui doctiorem emendat sibi dici putet.

Hoc neque improbum, neque acerbum ; grave est.

Fabella prima « *Calvus et quidam pilis defectus* » (Hav. 99) in aemulos suos spe fraudatos illudit, quos, ut Calvum pectinem, sic decere ait Musarum studia :

> « Superum voluntas favit ; sed fato invido
> Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus. »
> *Quem spes delusit, huic querel[a]e con[ci]n[e]t.*
>
> (v. 5-7.)

Qui vero, Phaedri fabellas imitati, successu aliquo gloriantur, illos deridet narratiuncula (2 « *Princeps Tibicen* » Hav. 100) :

> Ubi vanus animus aura captus frivola
> A[r]ripuit insolentem sibi fiduciam,
> Facile ad derisum e[i] stulta levitas ducitur.
>
> (v. 1-3.)

Docet eos non nomine sed virtute valere *principes* atque poetas ; si quis autem nomini immerito nimis confidat, eum fautoribus ipsis demum derisui fore.

Quid autem significare voluerit fabella 3 « *Tempus* » (Hav. 101), etsi plura verisimilia conjicere possis, non satis constat. Facile crediderim poetam de vita sua cogitavisse : « occasione se usum, magna difficultate gloriam *occupavisse*, nunc *tenere* » ; fortasse etiam, cum nihil majus haberet, rem philosophicam per ludum tractavisse.

## Quibus libris singulae Appendicis Perottinae fabellae restituendae sint.

Propter ipsa illa philosophica studia et serenitatem, libro quinto majorem partem Appendicis Perottinae ascribendam censeo :

Fabellam 2 (105) in qua tribus versibus ostendit se jam ab inimicis non sollicitari :

> Hoc qualecumque est Musa quod *ludit* mea,
> *Nequitia pariter laudat et frugalitas ;*
> Sed haec simpliciter, illa *tacite* irascitur.

Fab. 9 (112) « *Aesopus et scriptor* » in qua facete, non acerbe, illos deridet quorum volumen nemo alius admiratur quam ipsi :

> Ego..... quod te laudas vehementer probo,
> Namque hoc ab alio nunquam continget tibi.
>
> (v. 7-8.)

Fab. 12 (115) « *Juvencus et Bos vetulus* » quacum conferenda mihi videtur fabella V 5 : vetulum enim per Bovem, cui juvencus adjunctus erat ut ab illo *domaretur,* et « aetatis excusantem

vires languidas » (v. 8), Phaedrum significari opinor jam senem, fervidosque imitatores ne comprimeret recusantem.

Fab. 13 (116) « *Aesopus et Victor gymnicus* » in qua, ut in V 2, eos deridet qui vano successu gloriantur.

Fab. 14 (117) « *Asinus et Lyra* », qua illudit in eos qui Musas colere conantur omnino indocti. Similiter in V 1.

Fab. 31 (134) « *Papilio et Vespa* : non vult humilem sibi originem vitio verti, sed praesentem gloriam respici :

« Non qui fuerimus, sed qui nunc simus vide. »
(v. 10.)

Frustulam 6 (109) quam ad eosdem pertinere dicas, fabellarum imitatores et plagiarios, qui fab. V 3 deridentur :

Simulata interdum [merit]a prosunt hominibus,
Sed tempore ipso tamen apparet veritas.

Fab. 24 (127) « *Cornu fractum* » in eosdem scripta.

Pastor capellae *cornu* baculo *fregerat;*
Rogare c[o]epit ne se domino proderet.
Quamvis *indigne l[a]esa reticebo* tamen;
Sed res clamabit ipsa quid deliqueris. »

Apologum 7 (110) « *De poenis inferorum* » sereno et aequo animo conscriptum, in quo ne avaris quidem jam irascitur :

Quod stans in amne Tantalus medio sitit,
Avari describuntur, quos circumfluit
Usus bonorum, sed nihil possunt tangere.
(v. 7-9.)

Fab. 30 (133) « *Feber sive Castor* » avaris etiam adscriptam sine ira :

Hoc si praestare possent homines ut su[o]
Vellent carere, tuti posthac viverent;
Haud quisquam insidias nudo faceret corpori.
(v. 10-12.)

Fab. 8 (111) « *Delphicum oraculum* », ubi ostendit non iracundus homines, quamvis a Diis moneantur, utique esse malos, additis his facetiis, ambigue, haud improbe :

Haec eloq[u]ta concidit virgo *furens;*
*Furens* profecto, nam quae dixit perdidit.

(v. 16-17.)

Narratiunculam 10 (113) « *Pompeius et Miles* » quae per ludum, ut videtur, scripta concinnitate tantum commendatur.

Narratiunculam 16 (119) « *Virgo et proci duo* » longius et studiose et hilariter tractatam, in qua juvenis pauper tandem, post multos labores, per favorem Caelitum voti compos ipsum mihi videtur Phaedrum significare pauperem, olim multa passum, nunc, fortuna secunda, merita ac debita gloria donatum.

Fab. 20 (113) « *Aesopus et servus profugus* », in qua docet aequo animo ferendum esse quidquid acciderit, qui jam nullam querendi causam ipse habet.

Libro quinto quinque etiam fabellas adjunxerim de mulierum stultitia (fab. 4-107) libidine (f. 11-114), inconstantia (f. 15-118), lenocinio et veritatis odio (f. 17-120), perfidia et fallacia (f. 29-132). Quae, etsi acriore interdum stilo exaratae sunt, tamen cum ceteris libris sensu parum congruunt, contemptu omnium feminarum (fortasse post injuriam acceptam : cf. IV 12 Hav. 64) poetae indictae videntur.

Has omnes leniore animo scriptas esse nemo non fatebitur : in quibus continentur quidam in aemulos lepidiores quam acerbiores joci, nonnulla de Diis et rebus philosophicis, alia aliquot de mulierum pravitate. Quas si contuleris cum superioribus libris, apparebunt tibi ab eo esse compositae qui, securus et voti compos, quamvis natura ad irascendum et mordendum pronus esset, aliis non jam molestus esse vellet, ipse sibi admodum placeret.

Simili modo ceteras Appendicis fabellas singulis libris valde probabiliter adjudicare possis :

*Libro secundo :* — Fabellam 18 (121) « *Gallus et Feles lecticarii* », in qua « dolum praecavendum esse » ostendit. (Cf. II 13 v. 4 « praemetuens dolum » Hav. 17).

— Fabellam 19 (122) « *Scrofa parturiens et Lupus* », in qua, ne quis « perfidis se committat » docet, ut in II ff. 20 (24) 22 (26) 28 (32), « suspectum officium repudiandum malefici »

— Fab. 21 (124) « *Equus abactus* », auctore L. Havet.

Equum e[x] quadrig[a] multis palmis nobilem
Abegit quidam et in pistrinum vendidit.
Productus ad bibendum cum foret a molis,
In circum [a]equales ire conspexit suos

Ut grata ludis redderent certamina.
Lacr[i]mis obortis : « Ite felices » ait ;
« Celebrate sine me cursu so[l]lemnem diem ;
Ego quo scelesta furis a[bs]traxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea. »

Furem putat L. Havet Sejanum esse (cf. I 7) ; equum, « ipsum Phaedrum per annos multos a Musarum cultu et a gloria prohibitum ; in Graeca (Halm. 174) venditur γέρων ἵππος non a fure, verum ab domino. » Fabellam confer cum epilogo II (43) 16-20.

— Fab. 25 (128) « *Serpens et Lacerta* » in qua laetari videtur Phaeder se incolumem a Sejano dimissum.

Pr[a]edam dimisit ore serpens irritam.

Cf. II 8 (40).

— Fab. 26 (129) « *Cornix et Ovis* » : Ignavos inimicos impugnat qui lacessunt « inermes, iidem cedunt fortibus ». Cf. II ff. 5 (37), 14 (18), 18 (22).

— Fab. 28 (131) « *Lupus et Bubulcus* », in qua, ut in II 5 (37), homines notavit bilingues qui, simulato studio, quibus favere videntur, illis reipsa nocere volunt.

— Fab. 32 (135) « *Terraneola et Vulpes,* cujus lib. II fab. 22 (26) simillima est : in utraque enim derideri docet Phaeder eos « qui consilia dant prava cautis hominibus ». Haec in priore :

.....Cum currens bibere coepisset Canis,
Sic Corcodillus : « Quamlibet lambe otio ;
*Noli vereri.* » At ille : « *Facere*[*m*] mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae. »

(v. 5-8.)

Similiter inter se colloquuntur Terraneola et Vulpes :

« Salve » inquit illa (Vulpes) ; « cur me fugisti obsecro ?
. . . . . .
*Nihil est quod metuas ;* ego te multum diligo. »
. . . . . .
Respondit : « [Nos]tra tu quidem bene pr[a]edicas ;
*Quin sequere : tibi salutem committo meam.*
Non su[evi] in campo pa[sci], sed s[u]su[m vol]o. »

(v. 5-12.)

*Libro tertio.* — Fab. 5 (108) « *Veritas et Mendacium* » : Similia inter se ostendit Veritatem et Mendacium poeta falsa specie

calumniae accusatus; qui, innocentiae suae testes quanquam non habebat, tamen sperabat tempore « veritatem palam incessuram esse, mendacium haesurum in vestigio. » Cf. epil. III (76) v. 30-33. — Fab. 23 (126) « *Corvus Salutator* » : Derisit, ut in III 19 (63) eos qui « intempestive occupato *alludunt.* »

« Ave », utque ingessit <Corvus>. Tum se *lusum* intell[e]gens :
« At tibi [quidem] » inquit <viator> « male sit, ales pessime,
Qui *festinantis* sic detinuisti pedes. »
(v. 10-12).

Sic in III 19 (63)

Quidam ex turba *garrulus :*
« Aesope, medio sole quid tu lumine? »
« Hominem » inquit « quaero », et ab[i]it *festinans* domum.
(v. 7-9.)

— Fab. 27 (130) « *Socrates et Servus moechus* » : « Servus nequam » qui « Socrati male dixerat » Phaedrum manifeste significat innocentem « a noxiis » accusatum.

*Libro quarto.* — Fab. 1 (104) « *Vulpes et Simius* » : videtur Phaeder ne « particulam » quidem « quamvis parvam » fabellarum suarum et gloriae aliis voluisse impertire.

— Fab. 22 (125) « *Ursus et Cammari* » in avidos et stultos poetae imitatores scriptam; cujus epimythium hoc est :

Ergo *etiam stult[is] acuit ingenium fames.*

## II

### QUID IN FABELLIS RISUM MOVEAT.

Supra satis demonstratum est nulla scripsisse Phaedrum quae ad se aut ad praesens tempus non pertinerent; quemadmodum opus totum ex quinque libris constat, sic in poetae vita inveniri quinque aetates : exordium, gradus continuos, maturitatem quandam, prosperum successum. Vidimus enim illum primum sub Aesopi tutela scribendas fabulas suscepisse; tum suo nomine

incessisse ; mox, Aesopo sensim relicto, magis et magis proprio ingenio indulsisse ; postea, Aesopi immemorem, soli sibi fabellarum laudes vindicavisse ; denique, omnino commutato apologorum genere, gloria aliqua apud aequales floruisse. Comperimus etiam poetam, in tam variis operibus, iisdem plerumque teneri curis, angore, metu, aegritudine, ira ; natura maestum acerbiorem effecisse impedimenta, calamitates, molestias ; redolere fabellas nescio quam tristitiam.

Attamen ait Phaeder illas scribere se aggressum esse ut « risum moveret » (Prol. I, v. 3). Quid autem his verbis significare voluit ? Num arbitrabatur Aesopi logos risum movere ? Equidem non censeo. Aesopi non vim comicam sed sapientiam et prudentiam ubique laudavit ; eum σόφον vocat, ejus gravia praecepta memorat, non ridicule dicta. Constituit igitur Phaeder in Aesopi fabellis aliquid mutare ? Profecto. Sententiose dicit ille, hic jocose narrat : hoc inter se differunt, etsi eadem tractant. De se verius quam de Aesopo scripsit Phaeder :

> Quia quae volebat non audebat dicere,
> Affectus proprios in fabellas transtulit,
> Calumniamque fictis elusit [*j*]*ocis*.
>
> (Epil. II, pars post.)

Facetius Phaeder ad mores aetatis suae allusit ; Sejanum, multos alios, quos nunc, tot lapsis annis, novisse non possumus, ita notavit ut ab aequalibus facile agnoscerentur. Illud eum infitiari pulchre scio ; fecit mehercule non tam ut se excusaret quam quo eos qui se in fabellis notatos suspicabantur magis derideret. Hac primum vi comica libelli valent.

Deinde omni modo deridendos curavit « stultos » et « improbos » quos pari odio habuit. Deridentur stulti fabb. I, 3, 4, 5, 8, 10, 12, 13, 14 ; II, 5 (37), 6 (38), 11 (15), 17 (21), 20 (24), 21 (25), 26 (30) ; III, 18 (62) ; IV, 5 (84), 7 (86), 29 (95) ; V, 2 (100) ; Append. 9 (112), 22 (125). Infamantur improbi fabb. I, 2, 6, 7, 9, 11 ; II, 2 (34), 4 (36), 5 (37), 7 (39), 11 (15), 13 (17), 14 (18), 16 (20), 22 (26), 23 (27), 24 (28), 28 (32) ; III, 5 (49), 10 (54), 11 (55), 13 (57) ; IV, 9 (88), 17 (69) ; Append. 19 (122), 26 (129), 27 (130), 28 (131), 32 (135).

Derisorem saepius fecit Aesopum : in fabb. I, 3, 7 ; II, 4 (36) ; III, 3 (47), 5 (49), 19 (63) ; IV 3 (82) ; Append. 9 (112), 13 (116), 17 (120).

Narratiunculis etiam, quarum majorem partem ipse excogitavit, risum movit, inductis hominibus, non feris, quo melius notata vitia ridicula faceret, legentesque delectaret : II, 6 (38), 11 (15) ;

IV, 16 (68), 29 (95); V, 2 (100); Append. 4 (107), 5 (108), 10 (113), 23 (126).

Jocatur nonnunquam ambiguis verbis : III, 1 (45) « *bonum* », 11 (55) « *integritatis testes* » ; IV, 20 (72) « Vos quod *rapuistis* perit » ; V, 2 (100) « *Princeps* Tibicen » « Laetare, incol[u]mis Roma, salvo *principe!* » Ex ambiguo pendet tota fabella. Ibid. : « *sinistram* fregit *tibiam*, *Duas* [q]um *dextras* maluisset perdere ». Append. 8 (111) « Haec eloq[u]ta concidit virgo *furens; Furens* profecto nam quae dixit perdidit » ; 11 (114) « Licet horreum m[i] pateat, ego *scalpam* tamen » (Addidit : « Risisse Juno dicitur Veneris *jocos* Qu[ae] per gallinam denota[r]it feminas. »)

Ridicule etiam contrariis contraria solet opponere, aut inopinata sententia fabellam concludit.

I 11 « Tu non videris perdidisse [id]quod petis;
Te credo subripuisse quod pulchre negas. »
(vv. 9-10.)

12 « Qualis videtur opera tibi vocis meae? »
« Insignis » inquit (Leo) « sic ut, nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu. »
(vv. 13-15.)

II 11 (15) « Quant[a]e putatis esse vos dementiae,
Qui *capita* vestra non dubitatis credere
Cui cal[ce]andos nemo commisit *pedes.* »
(vv. 13-15.)

III 3 (47) « Si procurare vis ostentum, rustice,
Uxores..... da tuis pastoribus. »
(vv. 16-17.)

4 (48) Tum lanius jocans :
« *Quale* » inquit « *caput* est, *talis* pr[a]estatur *sapor.* »
Ridicule magis hoc dictum quam vere [a]estimo;
Quando et *formosos* s[a]epe inveni *pessimos*
Et *turpi facie* multos cognovi *optimos.*
(vv. 4-7.)

8 (52) « Tu *formam* ne corrumpas *nequitiae malis,*
Tu faciem ut *istam moribus* [p]ingas *bonis.* »
(vv. 15-16.)

20 (78) Is cum labore et *plagis* esset *mortuus,*
. . . . . .
. . . . . .
Ecce *aliae plag*[*a*]e congeruntur *mortu*[*o*].
(vv. 6-11.)

IV 2 (81) « Parvae *vindictam* rei
Dum qu[a]ero demens, *servitutem* repperi. »
(vv. 10-11.)

4 (83) « Sic *nulla possidebit* quod fuerit *datum*. »
(v. 45.)

22 (74) « Est gloriosus sane convictus deum,
Sed illi qui *invitatur*, non qui *invisus* est. »
(vv. 11-12.)

V 5 (103) « Non *te* destituit *animus*, sed *vires meae*.
*Quod fuimus laudas*, [si] jam *damnas quod sumus*. »
(vv. 9-10.)

APPEND. 10 (113) Ille <miles> continuo excreat
*Sibi in sinistram et sputum digitis dissic[i]t*.
« *Sic, imperator, oculi extillescant mei,*
*Si vidi aut tetigi*. »
(vv. 9-12.)

His tum Pompeius super :
« *Corona, mil[e]s*, equidem te dono libens,
. . . . . .
Sed *extillescant oculi sic* » inquit « *mei* »
*Turpe illud imitans jus jurandum militis*,
« *Nisi tu abstulisti* sarcinas nuper meas. »
(vv. 29-34.)

17 (120) Aesopus : « Immo [aes] n[i] dederis, *sponda cessa[b]it tua*. »
Domina : « At non *cessabunt latera* » respondit « *tua*. »
(vv. 8-9.)

. . . . . .
. . . . . *verbera*
Proponit gravia verum *si non dixerint*.
« Aliis minare ; me » inquit « non falles » σόφος;
« *Flagris* sum c[a]esus, *verum quia dixi modo*. »
(vv. 13-16.)

23 (126) « *Ave* » usque ingessit (Corvus). Tum se lusum
[intell[e]gens :
« At *tibi* [quidem] » *male sit*, ales pessime. »
(vv. 10-11.)

26 (129) « *Despicio inermes, eadem cedo fortibus ;*
Scio *quem lacessam, cui* dolos[e] *blandiar*. »
(vv. 5-6.)

27 (130) « Places tibi. . . . *quia cui non debes places ;*
Sed non impune, *quia cui debes non places*. »
(vv. 4-5.)

28 (131) « *Lingu*[*a*]*e* prorsus non nego
Habere et *agere gratias* me *maximas ;*
Verum *oculis ut priveris opto perfidis.* »
(vv. 12-14.)

29 (132) « Libenter,. . . . mea lux, hanc vocem audio,
Non quod *fidelis,* sed quod *j*[*u*]*cunda* e[s] mihi. »
(vv. 7-8.)

31 (134) « Non qui *fuerimus,* sed qui *nunc simus* vide. »
(v. 10.)

32 (135) « *N*[*os*]*tra tu quidem bene pr*[*a*]*edicas ;*
*Quin sequere : tibi salutem committo meam*[1].
Non su[ev]i in campo pasci, sed *s*[*u*]*su*[*m vol*]*o.* »
(vv. 10-12.)

Ne obscena quidem narrare dubitat :

II 26 (30) Asinus *demisso pene* : « Similem si negas
Tibi me esse, certe *simile est hoc rostro tuo.* »
(vv. 7-8.)

III 3 (47) Habenti cuidam pecora pepererunt oves
*Agnos humano capite* . . . . . .
. . . . . .
Aesopus ibi stans. . . . . .
« Si procurare vis ostendum, rustice,
Uxores » inquit « da tuis pastoribus. »
(v. 4-17.)

11 (55) « *Integritatis testes* quia desunt mihi »
(v. 5.)

IV 12 (64) [formavit recens]
A fictione veretri linguam mulieris.
13 (65) [Im]plicuit virgina[le] generi masculo
Et masculina membra applicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.
(vv. 12-14.)

16 (68.) Quam lege totam obscene narratam, versum ultimum nota :

Novum ut venire quis videt, culum olfacit.

[1] Per ironiam dictum.

Append. 11 (114) fortasse « ego scalpam tamen » (v. 12) de gallinis atque feminis dictum.

Multo lepidius jocando in fab. IV 5 (84) « lectores Catones » in risum vertit, quos « nec fabella[e] ju[v]ant nec f[a]bulae » grandiloquus per ironiam in Euripidis et Ennii cothurnis prodit. Quam vide.

Quid plura, fabellis inest vis magis satirica quam comica : nihil non scripsit poeta levandi sui animi gratia. Adversus aequales et inimicos suos velut ancipiti ferro utitur : eos modo per satiram confodit, modo per jocos leviore vulnere afficit.

## III

### De Phaedro vitae magistro.

Ridet raro Phaeder. Quae vero documenta, quam utilitatem afferat breviter videbimus. Voluit enim, si ipsi credendum est, per fabellas « ipsum vitam et mores hominum ostendere » (Epil. II), et « prudenti consilio vitam monere » (Prol. I).

Docet fato iniquo res humanas regi, et aliter accidere omnia atque debeant : coli improbos et stultos, virtutem et ingenium contemni; bona malis, bonis mala tribui :

Vi et nequitia inermes et innocentes opprimi I 1, 6 — II 7 (39) 14 (18) 28 (32) — III 10 (54) — Append. 21 (124) — 26 (129) — insidias innoxiis parari Epil. III (76);

Caecam Fortunam immerito aliis favere, nocere aliis III 20 (78) — improbis omnia prospere succedere II 4 (36), eos raro puniri II 14 (18);

Veram virtutem neglegi III 12 (56);

Contemni deorum jussa Append. 8 (111), — a Veritate homines abhorrere Append. 17 (120);

Raram esse amicorum fidem III 9 (53), homines ab amicis in re dubia deseri IV 26 (92);

Pro beneficiis mala rependi I 9 — IV 9 (88) 17 (69);

Humiles, si potentes dissideant, laborare II 27 (31), esse utique miseros II 12 (16), attamen periculo minus obnoxios II 8 (40) — IV 4 (83);

Divitias esse malas et a malis possideri IV 10 (89), 22 (74), nonnisi malis artibus parari II, 21 (28) — IV, 10 (89); — munera deorum a malis offerri IV, 9 (88) — divites esse avaros II, 2 (34), ne illud quidem inopibus impertire velle quod supervacuum habent : Append. 1 (104);

Servos et libertos esse insolentes II 6 (38), odiose mendaces et avidos III 10 (54), malis artibus subito divites fieri II 24 (28).

A feminis utcumque spoliari viros II 3 (35), eas esse illiberales et sordidas et stultas Append. 4 (107), obscenas IV 12 (64) Append. 11 (114), placendi studiosas et improbas Append. 17 (120), turpiter ingratas Append. 15 (118) et perfidas Append. 29 (132). Unam induxit castam, oblitus irae, defensionis suae causa III 10 (54).

Quae autem, inter tot et tanta mala, vitae ratio callido et sapienti et prudenti viro esse debeat, his praeceptis, saepe quae minime putes, nos docet. Admonet enim :

Ut mala praesentia, ne majora veniant, sustineamus I 3 Append. 20 (123); parvam injuriam feramus, ad graviorem vitandam IV 2 (77);

At, si fors dabit, ne dubitemus malo malum pendere, alteri, nostrae utilitatis causa, nocere :

| | | |
|---|---|---|
| II | 23 (27) | Nulli nocendum[st]; si quis vero laeserit,<br>Multandum sibi jure † fabella ammonet. |
| | 25 (29) | Vindicta docili..... patet sol[l]ertia[e]. |
| III | 2 (46) | Solet a despectis par referri gratia.<br>(v. 1.)<br><br>Illis reverter hostis qui me laeserunt.<br>(v. 19.) |
| IV | 7 (86) | Homo in peric[l]um simul ac venit callidus,<br>Re[p]erire effugium quaerit alterius malo. |
| | 27 (93) | [ei m]odo [dc]cet veniam dari<br>Qui casu peccat; qui[n] qui consilio est nocens,<br>Illum esse qu[a]vis dignum poena judico. |

Ut sua quisque sorte contentus vivat I 4, 5, III 18 (62), IV 28 (94), V 1 (99), Append. 3 (106); — suo etiam, ad vitandum periculum, careat Append. 30 (133); neve quid majus stulte cupiat II 17 (21), 21 (25), 24 (28), IV 6 (85);

Divitibus et potentibus ne invideamus, illos saepe maximis malis esse obnoxios II 8 (40), IV 4 (83), avaros esse miserrimos IV 18 (70) (optime);

Ut libertatem III 7 (51), ingenium et scientiam maximas omnium divitias habeamus IV 20 (72), 23 (75);

Potentiorum I 6 et improborum IV 9 (88) societatem vitemus;

Ne quis beneficia in improbos conferat :

I 9 Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat, primum quoniam indignos adjuvat,
Impune abire deinde quia jam non potest.

IV 9 (88) Significat (fabella)...., saepe quos ipse alueris
Tibi inveniri maxime contrarios.
(v. 16-17.)

17 (69) Qui fert malis auxilium post te[m]pus dolet.
..... « Ne quis discat prodesse improbis. »

Sibi quisque caveat I 10, saepe se consideret quo melior fiat III 8 (52) (laudabile prorsus documentum);

Ut diffidamus fallacibus adulatoribus I 14, II 16 (20), 19 (23), 20 (24), IV 26 (92), impudentibus II 11 (15), pravis consiliatoribus II 22 (26), improbis et dolosis II 4 (36), 13 (17), 28 (32), III 21 (79), Append. 19 (122), 32 (135), bilinguibus II 5 (37), Append. 28 (131).

Caveamus ne sinceritate in periculum adducamur :

IV 11 (90) Utilius homini nihil est quam recte loqui,
Probanda cunctis est quidem sententia,
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.

EPIL. III (76) Ego quondam legi quam pue[r] sententiam
« Palam muttire plebeio piaculum est »
Dum sanitas constabit pulchre memin[ero].

APPEND. 17 (120) « Flagris sum c[a]esus, verum quia dixi modo. »

Ut res tantum propter utilitatem laudemus I, 13; ne quid agamus quod non prosit III 15 (59), 17 (61);

Ne quid aut temere III 10 (54), 13 (57), IV 25 (98), aut prono favore IV 29 (95) judicemus.

Haec omnia sibi, non aliis, scripsit Phaeder; suam magis defensionem suscepit, suosque affectus declaravit, quam homines prudenti consilio monendos curavit. Ille, dum sibi sua tantum servit utilitas, varia, mutatis ipsius affectibus, atque inter se discrepantia nonnunquam edidit : qui divites et potentes odit, idem, necessitate quadam coactus, Eutychi divitis ac potentis viri *honori et meritis* libellum dedicavit; qui miser de iniquo fato conquestus erat gemens, idem, secundiore postea usus fortuna, miseros vult consolari IV 15 (67), querentes prius deridet, deinde ad patientiam gravi sententia adhortatur :

Append. 3 (106) Ergo contenti munere invicti Jovis
Fatalis annos decurramus temporis,
Nec plus conemur quam sinit mortalitas.
(v. 12-15.)

Profecto erravit Phaeder si vere in scribendis fabellis sibi proposuit ut vitam consiliis moneret. Neque enim σόφος neque virtutis magister dici potest; sed ad accipiendam offensionem facilior atque in iram praeceps, saevit, mordet, vulnerat, non docet. Credo equidem eum ad speciem modo, ut Aesopum imitari videretur et utilitate libri promissa legentes alliceret, propositum illud ostentavisse.

# CONCLUSIO

Haec praecipua et, ut ita dicam, unica per totam vitam Phaedrum sollicitavit cura, ut exigeret monumentum aere perennius et gloriam aeternam compararet. Quae causa fuit (non alia) cur apologos scribendos susceperit, quod solum supererat genus Romanis adhuc intemptatum. Cum autem, Aesopum imitando, librum primum lectoribus probatum edidisset, etsi minitando vetitus est a Sejano novi quicquam in lucem prodere, tamen per longos annos, fidens futuri, alterum librum secreto composuit, per quem, interpositis aliquot fabellis a se excogitatis, gloriam sollemnem sibi tributum iri confisus, Aesopi aemulo parum abfuit quin statuam deberi praedicaret. Quae gloriae cupiditas et arrogantia (quanquam putabat se modestum, cf. Prol. II, v. 15) in dies crevit, impedimentis non contenta, sed magis aucta est. Ita fidenter posteris poeta se totum committebat, ut, tertio libro edito, operi terminum statuere jam destinaret. Ei certa ratio denuo scribendi fuit quod alii se imitari vellent, nonnulli sibi Aesopum anteponerent : surgit itaque indignatus, et laudem suam cum ab Aesopo tum etiam ab aemulis suis acerrime defendit, neque prius iracundiam remittit quam exoptata gloria securus frui potest.

Fabellas suas et eximie scriptas et quavis laude dignas habet; vocat « *doctum laborem* », « *arte fictas fabulas* ». Poeta poesin omnium rem pulcherrimam et multo pretiosissimam esse existimat : virum doctum, id est poetam, et apud homines valere, et ab ipsis honorari diis. Quod si vulgus stupidum aliter sentit, miraturque indigna, stultorum approbatione Phaeder facile caret « inlitteratum plausum nec desiderat ».

Nullam calamitatem molestiorem habuit quam quod libellis suis justa laus denegaretur. Quo tempore gravissimo crimine oppressus ad Eutychum, salutis causa, confugere supplex cogebatur, etsi magnum ei imminebat periculum, tamen scribendi laudis non immemor, dum inimicorum improbitatem, innocentiam suam praedicat, simul fabellarum censores aggreditur et deridet. Immo scribendi si forte nomen Socratis obvenit, praesentis mali

oblitus, tanti viri famam labore quovis et periculo et morte assequi velit :

« Cujus non fugio mortem, si famam assequar;
*Et cedo invidiae dummodo absolvar cinis!*

III 9 (53).

Mirare etiam quam sincera fide et superstitiose crediderit poetae munus a diis sibi assignatum, quam candida et puerili ratione ostendat sibi necessitate quadam Musarum laudes tribui debere, se in « Pierio jugo » natum (Prol. III) et « litteratae propiorem Graeciae » (Epil. II) Phryge Aesopo, Anarcharsi Scytha, Thrace Lino et Orpheo praestantiorem in condendo carmine fore; praeterea non dubitet quin gravi argumento illa esse vera invidissimo cuique persuaserit :

*Ergo* hinc abesto, li[v]or, ne frustra gemas,
Quo[m] jam mihi sollemnis d[a]b[i]tur gloria!

(v. 36-37.)

denique haec addiderit simpliciter :

Induxi te ad legendum; *sincerum mihi*
*Candore noto reddas judicium peto.*

(v. 38-39.)

Mox cum non omnibus eadem placerent, timendumque ei esset ne aliis brevior, longior aliis esse videretur, utrisque satisfaciendi studiosus, brevibus fabellis narratiunculas aliquot longiores curavit interponendas.

Criminantibus nonnullis quod fabuloso genere nequicquam vellet legentes allicere, respondit ne ullis quidem litteris delectari posse « quos fabellae non juvarent »; fabellas non modo ad delectationem sed ad utilitatem excogitari; non inlitteratis hominibus se scribere, sed acutis et doctis ingeniis :

diligenter intuere has nenias;
Quantam sub ti[tu]lis utilitatem re[p]eries!
Non semper ea sunt quae videntur d[i]spici;
[decipit]
Frons prima multos; rara mens intellegit
Quod in[t]eriore condidit cura angulo.

III 21 (79)

Uno verbo, doctissimum et gravissimum et utilissimum genus a se coli semper putavit.

Jam vero irae non temperavit quo die alii « studii participes » esse conati sunt; seque ab aliis spoliari « sacrilegium » nefandum clamavit « sanctae Religioni » puniendum! Illa certe imitatio et furtum manifeste arguit fabellas ejus tunc innotuisse.

Denique cum jam aetate provectus esset et nobilis factus, deposita tandem ira, licuit ei aemulos contemnere, novosque apologos et narratiunculas, delectationis causa, conscribere.

Lauduni scribebam XIV° die mensis Septembris anno MDCCCXCVI.

H. VANDAELE.

VIDI AC PERLEGI,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VI Kal. febr. ann. MDCCCXCVII,
*Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,*
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR,
*Academiae Parisiensis Rector,*
O. GRÉARD.

# APPENDIX I

## Ordo fabellarum III 20 — IV 3, 8 qui fuit in codice Y, restituendus.

fol. **A**
lib. **III**

(Hav. pp. 91-92)

folium rectum

Qui natus est infelix non uitam modo A
Tristem decurrit, uerum post obitum quoque si
Persequitur illum dura fati miseria. nus
Galli Cybebes circum [in] qu[a]estus ducere et
Asinum solebant baiulantem sarcinas. Gal
Is cum labore et plagis esse mortuus, li
Detracta pelle sibi fecerunt t[y]mpana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo :
« Putabat se post mortem securum fore ;
Ecce aliae plag[a]e congeruntur mortu[o]. » Poeta.
Joculare tibi vide[m]ur, et sane lev[i],
Dum nihil habemus ma[ii]us, cal[a]mo ludimus ;
Sed diligenter intuere has nenias ;
Quantam sub ti[tu]lis utilitatem re[p]eries !

folium versum

Non semper ea sunt quae videntur d[i]spici ;
[decipit]
Frons prima multos ; rara mens intellegit
Quod in[t]eriore condidit cura angulo.
Hoc ne loq[u]tu]s sine mercede existimer,
Fabellam adiciam de mustela et muribus.
Mustela cum an[u]s e[x] senecta debilis
Mures ueloces non valeret [iam] adsequi,
Inuoluit se farina et ob[s]curo loco
Abjecit ne[g]legenter. Mus escam putans
Adsiluit et compre[n]sus occubuit neci ;
Alter similiter, deinde perit et tertius.
[Post] aliquo[t], uenit saeculis retorridus
Qui saepe laqueos et muscipula effugerat ;
Proculque insidias cernens hostis callidi :
« Sic ualeas » inquit « ut farina es quae iaces ! »

fol. **P**
lib. **III**

(Hav. pp. 87-88)

folium rectum

Idem Poeta.

Supersunt mihi qu[a]e scribam, sed parco sciens ;
Primum ne uidear esse tibi molestior,
D[i]stringit quem multarum rerum uarietas ;
Dein si quis eadem forte conar[i] uelit
Habere ut possit aliquid operis residui ;
Quamuis [m]at[e]r[ia]e tanta abundet copia
Labori faber ut desit, non fabro labor.
Breuitat[i] nostrae [prae]mium ut reddas peto
Quod es pollicitus; ex[h]ibe uocis fidem.
Nam uita morti propior fit cotidie,
Et hoc minus [per]ueniet ad me muneris
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior ;
Fruar diutius, si celerius c[e]pero.

folium versum

Languentis aeui dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est ; olim senio debilem
Frustra adiuuare bonitas nitetur tua,
Cum iam desi[e]r[i]t esse benefici[um] util[e]
Et mors uicina flagitabit debitum.
Stultum admouere tibi preces exis [timo].
Tuae sunt partes ; fuerunt aliorum [prius];
Dein simili gyro uenient aliorum uices.
Decerne quod rel[i]gio, quod patitur fides,
Et gra[uiter] me t[u]t[a]re iudicio tuo.
Procliuis ultro [q]um sit misericordia,
S[a]epe impetrauit ueniam confessus reus ;
Quanto innocenti iustius debet dari.
Excedit animus quem proposuit terminum ;
Sed difficulter continetur spiritus,

fol. Q
lib. III

(Hav. pp. 89-90)
folium rectum

Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolent|i|is.
Qui sint requires ; apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puc[r] sententiam
« Palam muttire plebeio piaculum est »,
Dum sanitas constabit pulchre memin[ero].
[PHAEDRI AVG. LIBERTI LIBER TERTIVS
EXPLICIT INCIPIT LIBER QVARTVS
FELICITER]
Poeta ad Partieulonem. lib. IV
Cum destinassem terminum operi s[t]a[tu]ere,
In hoc ut aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnaui [meum].
Nam siquis talis etiam [s]t[ud]i[i est particeps],
Quo pacto d[iui]nabit quidnam omiserim ?

folium versum

[An a]l[ii it] ipsum cupia[nt] famae tradere,
Sua cuique [q]um sit animi co[nc]itatio
C[a]lorque pri[u]o[s] ? Ergo non leuitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particul[o], quoniam caperis fabul[is]
(Quas Aesopias, non Aesopi, nomino,
Qu[ia] paucas ille ostendit, ego plur[i]s [f]ero,
Vsu[s] uetusto genere, sed rebus nouis),
Quartum libellum, [q]um ua[ca]ri[t], perleges.
Hunc obtrectare si uolet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas uerba transfe[r]tis mea,
Dign[a ut] qu[a]e longa indic[e]tis memoria;
Inlittera[t]um plausum [nec] desidero.

fol. **B**
lib. **IV**

(Hav. pp. 93-94)
folium rectum

De Vulpe et Vua.

Fame coacta uulp[e]s alta in uinea
Vuam adpetebat summis saliens uiribus,
Quam tangere ut non potuit, discedens ait :
« Nondum matura est, nolo acer[b]am sumere. »
Qui facere quae non possunt uerbis eleuant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

[Equus et Aper]

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese aper uolutat turbauit uadum.
Hinc orta lis est. Sonipes iratus fero
Auxilium pet[i]it hominis, quem dorso leuans
Red[i]it ad hostem. Iactis hunc telis eques
Postquam interfecit, sic loq[u]tus traditur :
« Laetor tulisse auxilium me precibus tuis,

folium versum

Nam pr[a]edam cepi et didici quam sis utilis. »
Atque ita coegit frenos inuitum pati.
Tum m[a]estus ille : « Paruae uindictam rei
Dum qu[a]ero demens, seruitutem repperi. »
Haec iracundos admonebit fabula
Impune po[t]ius laedi quam dedi alteri.

Poeta.

Plus esse in uno saepe quam in turba boni,
Narratione posteris tradam breui.
Quidam decedens tres reliquit filias,
Vnam formosam et oculis uenantem uiros,
At alteram lanificam et frugi rusticam,
Deuotam uino tertiam et turpissimam.
Harum autem matrem fecit heredem senex
Sub condi[c]ione totam ut fortunam tribus

Sequuntur folia **CDE,FG,HIKLM**.

# APPENDIX II

ORDO FABELLARUM IV, 21, 3. — 25 QUI FUIT IN Y, RESTITUENDUS

fol. **N**
lib. **IV**

(Hav. pp. 83-84)

folium rectum

At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi
Qui, magna cum minaris, extricas nihil.

Formica et Musca.

Formica et musca contendebant acriter
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior :
« Conferre nostris tu potes te laudibus ?
Moror inter aras, templa perlustro deum ;
Vbi immolatur, exta praegusto omnia ;
In capite regis sedeo [q]um uisum est mihi,
Et matronarum castra delibo oscula.
Laboro nihil atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica? »
« Est gloriosus sane conuictus deum,
Sed illi qui inuitatur, non qui inuisus est.
Aras frequentas? nempe abigeris, quo[m] uenis.

folium versum

Reges commemoras et matronarum oscula ?
Super etiam iact[a] tegere quod debet pudor.
Nihil laboras? ideo, [q]um opus est, nihil habes.
Ego granum in hiemem cum studiose congero,
Te circa murum pasci uideo stercore ;
Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Aestate me lacessis ; [q]um bruma[s]t siles.
Satis profecto rettudi superbiam. »
Fabella talis hominum discernit notas,
Eorum qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum uirtus ex[h]ibet solidum decus. Poeta.
Quantum ualerent inter homines litterae
Dixi superius ; quantus nunc illis honos
A superis sit tributus tradam memoriae.

'ol. **O**
lib. **IV**

(Hav. pp. 85-86)

folium rectum

Simonides idem ille de quo ret[t]uli,
Victori laudem cuidam p[y]ctae ut scriberet
Certo conduxit pr[e]tio, secretum petit.
Exigua [q]um frenaret materia impetum,
Vsus poet[a] moris est licentia
Atque interposuit gemina [e] Lede sidera,
Auctoritatem similis referens gloriae.
Opus adprobauit; sed mercedis tertiam
Accepit partem. [Q]um reliqu[o]m posceret :
« Illi » inquit « reddent quorum sunt laud[i]s duae.
Verum ut ne irate te dimissum sentiant,
Ad cenam mihi promitte; cognatos uolo
Hodie inuitare, quorum es in numero mihi. »
Fraudatus quamuis et dolens iniuria,
Ne male di[ssimul]a[ns] gratiam corrumperet,

folium versum

Promisit, rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis conuiuium,
Magno apparatu laeta resonabat domus,
Repente duo cum iuuenes sparsi puluere,
Sudore multo diffluentes [tem]pora,
Humanam supra formam, cuidam seruolo
Mandant ut ad se prouocet Simonidem;
Illius interesse; ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Vnum promorat uix pedem triclinio,
Ruina camarae subito oppressit ceteros;
Nec ulli iuuenes sunt reperti ad ianuam.
Vt est uulgatus ordo narratae rei,
Omnes scierunt numinum praesentiam
Vati dedisse uitam mercedis loco.

fol. **R**
lib. **IV**

(Hav. pp. 113-114)

folium rectum

Idem poeta.

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui red[di]di iam pridem quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia ;
Vt quidam artifices nostro faciunt s[a]eculo,
Qui pretium operibus maius inueniunt nou[is],
Si marmori adscripserunt Praxitelen s[cabr]o,
Trito Myronem argento, [t] abul[a]e [Zeuxidem],
Adeo fu[c]atae plus uetustati fauet
Inuidia mordax quam bonis praesentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror.

Demetrius rex et Menander poeta.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupauit imperio improbo,
[Rex nuptias dum celebrat, turba ignobilis][1]

folium versum

Vt mos est uulgi, passim et certatim ruit ;
« Feliciter ! » succlamant. Ipsi principes
Illam osculantur qua sunt oppressi manum, [5]
Tacite gementes tristem fortunae uicem.
Quin etiam resides et sequentes otium,
Ni defuisse noceat, repunt ultimi ;
In quis Menander, nobilis comoediis
Quas ipsum ignorans legerat Demetrius [10]
Et admiratus fuerat ingenium uiri,
Vnguento delibutus ; uestitu afluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi tyrannus uidit extremo agmine : [15]
« Quisnam cin[a]edus ille in conspectu meo
Audet uen[a]ri ? » Responderunt proximi :
« Hic est Menander scriptor. » Mutatus statim :

Sequuntur folia **STV** **X**
lib. **IV** lib. **V**

1. Hic lacunam statuit L. Havet, « quia requiritur mentio diei alicujus certi », recteque versum deficientem complevit, quia deest nominativus ante « ruit ».

# ADDENDA ET CORRIGENDA

P. III, l. 2, *pro* quae *lege* quas
P. 4, l. 15, *lege* tractare non posset,
P. 5, l. 9, *pro* inficiatur *lege* infitiatur.
P. 8, l. 10, *lege Rem me professum*
P. 9, l. 22, *lege* nemo putabit vivente Sejano
P. 14, l. 5, *lege* per judicem stetit
P. 17, l. 24, *lege* vide infra p. 98.
P. 23, *in nota*, *lege* inter vv. 18-19,
P. 30, *post lineam* 36 *adde titulum* Vacca et Capella Ovis et Leo Halm. 258.
P. 32, *post notam adde :* De restituendo fonte Aesopiarum fabellarum vide AUGUST HAUSRATH : Untersuchungen zur Überlieferung der Äsopischen Fabeln (21sten Supplem. der Jahrbücher für classische Philologie 1894).
P. 37, l. 22, *pro* paena *lege* poena. — *Item pro* paenas *lege* poenas p. 38, l. 31 ; p. 44, l. 5 ; p. 46, l. 13 ; p. 47, l. 8.
P. 77, l. 22, *pro* obcenos *lege* obscenos
P. 81, *post lineam* 12 *adde :* — Fab. 3 (106) eodem animo scriptam.
P. 89, l. 22, *lege* Illis revertor hostis...

# TABULA


PAG.

PROOEMIUM . . . . . 1

PARS PRIOR : *Libri singuli ex quibus fabellis constent, quibus temporibus scripti et in lucem editi sint* . . . . . 1

Liber I. . . . . 1
Liber II . . . . . 5
Liber III . . . . . 12
Liber IV . . . . . 21
Liber V. . . . . 23
Codicis P conspectus universus . . . . . 24

PARS POSTERIOR : *De Fabellarum vi et sensu recondito.* . 29

I *A*) Quomodo Phaeder Aesopum cum in universis fabulis tum maxime in libro primo sit imitatus . . . . . 29

*B*) De Phaedro fabellarum inventore vel de fabellis post librum primum scriptis . . . . . 39

De libro secundo . . . . . 39
De libro tertio. . . . . 47
De libro quarto . . . . . 63
De libro quinto. . . . . 78

Quibus libris singulae Appendicis Perottinae fabellae restituendae sint. . . . . 79

II Quid in fabellis risum moveat . . . . . 83

III De Phaedro vitae magistro. . . . . 88

CONCLUSIO . . . . . 92

APPENDIX I : Ordo fabellarum III 20 — IV 3, 8 qui fuit in Y restituendus . . . . . 94

APPENDIX II : Ordo fabellarum IV 21, 3 — IV 25 qui fuit in Y restituendus . . . . . 99

RENNES, IMP. FR. SIMON, SUCCr DE A. LE ROY

IMPRIMEUR BREVETÉ



DUE APR 22 40
Columbia
4-4-49

Lp 20.375
Qua mente Phaeder fabellas scripser
Widener Library 006815417
3 2044 085 218 972